SCRIPTORES

RERVM GERMANICARVM

IN VSVM SCHOLARVM

EX

MONVMENTIS GERMANIAE HISTORICIS

RECVSI.

PAVLI

HISTORIA ROMANA.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII.

SCRIPTORES

RERVM GERMANICARVM

IN VSVM SCHOLARVM

EX

MONVMENTIS GERMANIAE HISTORICIS

RECVSI.

PAVLI

HISTORIA ROMANA.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII.

PAVLI

HISTORIA ROMANA

IN VSVM SCHOLARVM

EX

MONVMENTIS GERMANIAE HISTORICIS

RECVSA.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCLXXVIIII.

PRAEFATIO.

Historiae Romanae textui, quem ex maiore editione repetere placuit, disputationis, quae est in eius editionis praefatione de codicibus adhibitis et fontium notis adiectis, summam praemittere haud abs re est.

Historiae Romanae codicum duo sunt genera, quae potissimum hiatu libri xv inter se distinguuntur. alterum enim genus locum 120, 22 ss. sic proponit plene: '(Gothi) bifarie 'per Alaricum ac Fridigernum divisi decreverunt, ut utramque 'rem publicam idest Fridigernus cum suis orientalem, Alaricus 'vero cum suo exercitu occidentalem opprimeret. hi ergo, qui 'cum Fridigerno in orientali remanserant parte, lingua patria 'ab oriente Ostrogothae id est orientales Gothi sunt dicti, isti 'vero, qui occiduas petierant regiones, ab occidente Wisigothae 'id est occidentales sunt appellati'. alterum post 'bifarie per Alaricum' pergit 'regiones ab occidente' omissis reliquis: 'ac Fridigernum — occiduas petierant'.

Prioris familiae scilicet hiantis adhibuimus codices Bambergensem E III 4 513 (*H*) saeculi x vel IX in fine inde a 134, 25: 'iubet' mutilum et Vaticanum 3339 (*V*) saeculi XI: quamvis non ex eodem archetypo descripti pro uno codice habendi sunt, qui Pauli ipsius temporibus non multo inferior etsi ter sit interpolatus 'commotum [exortum] est' 45, 6, 'in [bello] barbarico' 75, 17, 'catholica [repperisset]' 131, 17 nostrae editionis erat fundamentum. tertius huius familiae est Berolinensis Lat. 4° 1 (*B*) saeculi XIII, cuius lectiones cum in omnibus gravioribus faciant cum *HV*, non apponuntur nisi in libris XI—XVI.

Alterius codicum generis scilicet eius, quod locum supra laudatum integrum exhibet, priore in universum longe deterioris, cum eius textus sit corruptus et interpolatus, testes nobis fuerunt Laurentianus LXV, 35 (*N*) in Germania fortasse saeculo XI scriptus, quo ut antiquiorem huius familiae codicem usurparemus nobis non contigit, et Vaticanus 7312 (*Z*) saeculi XII. ea inter hos codices intercedit ratio, ut Laurentianus correctus sit (N^2) ad exemplar ad Vaticani archetypum quam proxime accedens. inserunt autem post librum decimum; 'hucus-'que historiam Eutropius composuit, cui tamen aliqua Paulus Dia-'conus addidit domna (domina N^2Z) Adelperga christianissima 'Beneventi ductrice (doctrice N^2Z) conius (coniux *Z*) domni 'Argis sapientissimi et catholici principis; deinceps quae se-'cuntur, idem Paulus ex diversis auctoribus proprio stilo con-'texuit' ubi meliores codices legunt non nisi verba: 'hucusque — addidit'.

Hi libri omnes cum non habeant epistulam ante annum DCCLXIV scriptam, qua Paulus librum Adelpergae misit, hanc recensuimus secundum codices eorum, qui eam exhibent, admodum paucorum et ad ipsam Historiam recensendam parum utilium antiquissimos tres Laurentianum LXXXIX inf. 41 saeculi XIII (*C*), Perusinum H LXXV saec. XIV (*A*), Vindobonensem CIV saec. XIV (*B*).

Landolfus Sagax (*L*), qui circa annum millesimum Pauli Historiam Romanam interpolavit et deduxit usque ad Leonis tempora, codicem Pauli satis bonum nactus misere laceravit. qui codex plerumque codicum meliorum lectionem, interpolationem quoque, quae est 131, 17 'repperisse', sequitur, cum altera autem familia habet verba libri XV de Gothorum divisione integra et consentit nonnumquam cum manifestis eorum erroribus e. gr. 'scriptione' pro: scrutatione 116, 29. nescio an ex Landolfo interpolata sit altera codicum familia, certe codices *NZ*, qui consentiunt cum *L* in additamentis nonnullis a priore familia alienis, quorum graviora sunt haec: 4, 26 'Silvius [regnavit] annis', 7, 8 'duce Romuli [eri (fratris) sui eiusdem ut fertur] voluntate' ubi ***HVB*** legunt: 'duce Romuli dubium an fratris voluntate', 8, 15 'rege [Chaldaeorum]', 42, 32 'vinculis [dissolutis]', 77, 31 'muris validioribus [et latioribus (laxioribus *NZ*)]', 86, 33 'liberalium [artium]', 102, 2 'sanctorum [apostolorum]', 133, 3 'per annum [continuum]'.

Denique codex Monacensis 3516 (*M*) saeculi XI olim Hersfeldensis, cuius discrepantia enotata est inde a libro XI, cum reliqua propter eius textum neglegenter descriptum et inter-

polatum apponere operae pretium non videretur. in lectione medium tenet locum inter utraque genera, in verbis libri XV de Gothorum divisione et libri X subscriptione consentit cum *NZ* nisi quod *M* addit ante 'domna' 'iuvente' vocabulum et legit: 'ductrice conjuge domni Arichis'. e contrario plerumque cum *HV* facit, ut ex priore genere codicum eius archetypus fuisse videatur ad alterius familiae codicem et Landolfum suppletus et interpolatus.

Eutropi verba quae extant in Pauli Historia Romana, non secundum optimos breviarii codices exhibuimus sed eum restituimus textum, qualem codicum Paulinorum adhibitorum consensus praebuit; sicubi Pauli codices inter se differunt, eam recepimus lectionem, quae extat in codice Vaticano 1860. hic enim codex, qui anno MCCCXIII scriptus praeter alia continet Eutropi breviarium, aut ex eo ipso libro, quem usurpavit Paulus, aut certe ex simillimo eius manavit, itaque diiudicat plerumque quaestionem, quid in breviario legerit Paulus. codicum Paulinorum discrepantia quae est in Eutropianis, cum in maiore editione ex operis consilio neglegenda esset, huic minori editioni plena adiecta est. textum breviarii Paulus aut ad verbum descripsit additamentis insertis aut ipsi codici additamenta ita adscripsit, ut cum supplementis suis deinde librario describendum traderet: ab eis, quae apud Eutropium legebantur, rarissime discessit, propter additamenta sua nonnulla delevit, pauca (*cf.* 16, 12, 17, 21; 56, 5;) mutavit, Eutropi verba transposuit bis ('vir — fastigio suo' 62, 25—30; 'templum — constituit' 77, 32).

Eutropi libri cum exiles Adelpergae visi essent, Paulus eos interpolavit usque ad librum sextum adsumptis locis inprimis Orosii, Hieronymi, Iordanis libri de successione regnorum qui dicitur, inde a libro VII (cuius tamen parti posteriori itemque toti octavo nihil de suo inseruit) epitomam de vita et moribus imperatorum potissimum adhibuit, Iordanem in hac operis parte bis tantum inspexit (59, 31 64, 29), Orosium item bis (60, 7 *ss.* 79, 15), Hieronymum bis (60, 13 75, 20). Hieronymi Iordanis epitomae excerpta fere semper ad verbum facta sunt, Orosii ambages in compendium fere redegit ita tamen, ut nunquam ab auctore longius discedat.

Praeterea per libros decem primos exscripsit paucis locis Solinum scilicet de Cinea 17, 37 (I 109), et de Caesare 57, 20 (I 106, 107), Frontini strategemata de Marcello 24, 26 (IV 5, 4),

de Hannibale 27, 4 (II 2, 7), de Paullo et Varrone 27, 11, 20 (IV 5, 5, 6). ea quae de Italiae historia usque ad Romulum breviarii initio praemisit, ex libro de origine gentis Romanae pleniore quam qui extat sumpta sunt. loci qui sunt de Iudaeorum reditu (8, 30), de Iudith (9, 15), de Esther (12, 26), de Scipionis clementia (30, 4), de Cleopatra (59, 31) num ex auctoribus, ad quos prope accedunt, scilicet Hieronymo a. 1456 (*cf.* Iord. R. 224), 1487, 1613, Frontino (2, 11, 5) Iordane (R. 225) desumpti sint, in medio relinquendum est neque quae de Pythagora (9, 17), de Fabio et Hannibale (26, 24, 26), de prodigio Saguntino (25, 20), de Ticino (33, 4) leguntur ex ipsis Iustini (XX 4), Livi (XXII 14, 8; .30, 10), Plini (n. h. VII 3, 35; III 7, 124) voluminibus hausta videntur. additamenta denique quae sunt 25, 11; 60, 8; 61, 27; 75, 21; 77, 8 ita comparata sunt, ut ea Paulus non ex libris descripta sed de suo adiecisse videatur. etiam leviora sunt, quae apposuit, ut breviarii et additamentorum verba aliquatenus cohaererent, quae sunt vocabula: 'ergo, igitur, itaque, denique, siquidem, hoc tempore, his diebus' similiaque, item: 5, 34 'ut praemissum est', 7, 9 'causa autem interitus haec fuit', 8, 30 'invasit imperium', 18, 1 (pax) 'tamen quam offerebat', 23, 18 'nam idem consules', 27, 8 'eaque de causa Romanorum exercitum stravit', 27, 14 'perierunt autem ibi', 36, 27 (tribunus) 'ut dictum est militum', 50, 33 'expugnavit etiam', 53, 22 'expugnavit namque in ea', 75, 10 'ex quibus iunior Philippus', 75, 18 'e quibus senior', 77, 2 'ducis sui'.

Eutropii breviario sex libros adiecit Paulus superioribus ut ipse scribit in quantum potuit haud dissimiles. quos qua ratione quibusque usus fontibus composuerit optime intellegitur ex libris XI, XII, XIII capitibus primo et secundo, quorum fontes omnes fere supersunt. in his Paulus, ut etiam post Eutropium narrationis continuae quasi stamina ei essent, auctorem quendam primarium fontem elegit eiusque excerptis additamenta aliunde petita adnexuit fontium verbis, ubi fieri potuit, servatis aut caute mutatis contractisque. primarias partes libris XI, XII, XIII capitibus duobus primis agit Orosius, libro XIII post Orosium Prosper, cuius chronicon vere integrum Paulus usurpasse videtur: nam quae inde a XIII, 3 Prosperi similia leguntur, non ex Prosperi chronico integro, Vaticano, Tironiano quae vocantur conquisita sed ex uno libro scilicet pleno integroque chronico desumpta esse quam maximam habet veri speciem. praeterea

adhibuit epitomam, Hieronymum, Iordanis Romana. accedit in altera libri XIII parte Bedae chronicon et fortasse eiusdem Historia Ecclesiastica gentis Anglicae (110, 1). atque qua ratione excerpta inter se coniungantur, vel uno demonstratur exemplo:

93, 10 denique lacrimabili cum Gothis bello commisso ¦ ad primum Gothorum impetum perturbatae Romanorum equitum turmae nudatos pedes deseruere. qui mox equitatu hostium saepti ac sagittarum nubibus obruti cum amentes metu huc illucque fugitarent, funditus interiere. ipse imperator cum sagitta saucius versusque in fugam ‖ ob dolorem nimium saepe equo laberetur ‖ atque in vilissimam casulam deportatus esset, supervenientibus Gothis ignique supposito concrematus est. ¦

Or. 553: itaque xv imperii sui anno lacrimabile illud bellum in Thracia cum Gothis iam tunc exercitatione virium rerumque abundantia instructissimis gessit. ubi primo statim impetu Gothorum perturbatae Romanorum equitum turmae nuda peditum deseruere praesidia. mox legiones peditum undique equitatu hostium cinctae ac primum nubibus sagittarum obrutae deinde cum amentes metu sparsim per devia cogerentur, funditus caesae gladiis insequentium contisque perierunt. ipse imperator cum sagitta saucius versusque in fugam *etqs.*

epit. 46, 2: hic Valens cum Gothis lacrimabili bello commisso sagittis saucius in casa deportatur vilissima, ubi supervenientibus Gothis ignique supposito incendio concrematus est.

Hier. 2395: ipse imperator Valens cum sagitta saucius fugeret et ob dolorem nimium saepe equo laberetur *etqs.*

denique petentibus Gothis, ut eis episcopos mitteret, a quibus fidei rudimenta susciperent, Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicque universa illa gens Arriana effecta est. iusto itaque dei iudicio ab

Or. 554: Gothi antea per legatos supplices poposcerunt, ut illis episcopi, a quibus regulam Christianae fidei discerent, mitterentur. Valens imperator exitiabili pravitate doctores Arriani dogmatis misit. Gothi pri-

illis igne crematus est, quos ipse perfidiae succenderat igni. ‖	mae fidei rudimentum quod accepere tenuerunt. itaque iusto dei iudicio ipsi eum vivum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arsuri sunt.
Gothi vero imperatore occiso iam securi ad urbem properant Constantinopolitanam, ubi tunc Dominica Augusta Valentis uxor multa pecunia plebi largita ab urbis vastatione hostem submovit, regnum cognatis fideliter viriliterque servavit. ‖	Iord. 238: Gothi vero occiso imperatore iam securi ad urbem properant Constantinopolitanam, ubi tunc Dominica Augusta Valentis uxor multam pecuniam plebi largita ab urbis vastatione hostes submovit regnumque cognati usque dum ille Theodosium ordinasset, fideliter utiliterque servavit.

Additamenta quae non ex auctoribus hausta esse patet, libris XI et XII insunt sed exilia, scilicet ut excerpta quodammodo consarcinaret: 'his diebus' (*bis*), 'non multo post tempore', 'quibus cognitis', 'continuo', 'denique', 'denique prius', 'interea', 'interdum', 'inter haec' (*bis*), 'postmodum', 'mox, cum', 'qui, dein', 'dum', 'e contrario', 'nihilominus', 'praecipueque', 'autem', 'tamen', 'quoque' (*bis*), 'itaque', 'igitur' (*ter*), 'quoque', 'sane', 'hic enim', 'porro Gratianus', 'at vero Gratianus', aliis locis perspicuitatis causa adiecit haec: 'aetatis', 'habentem', 'imperatorum', 'ut dictum est', 'quem sibi, ut praemisimus, Gratianus, sociavit in regno', (iussus) 'a Valente', (turbo ventorum) 'a parte Theodosii', (x milia) 'auxiliatorum', 'ad cuius laudem' (poeta cecinit), (incendium quantum) 'olim a Caesare factum est', (detrimento magis) . . 'quam augmento', (legationem) 'in his verbis'.

Raro paulo longius ab auctorum verbis recedit, cuius rei unum perscribi exemplum haud ineptum videtur: 92, 25 (ac per singulas ubique provincias adversus catholicas ecclesias et rectae fidei populos) 'diversa sunt inlata incommoda', quae substituta sunt Orosi verbis, quae sunt 551: 'quae 'autem per diversas ubique provincias his similibusque iussis 'adversus ecclesias catholicas et rectae fidei populos gesta sint, 'satis significatum ipsa reticendi electione sufficiat'.

Pauca insunt libris XI, XII, quae revera ex auctoribus, qui non supersunt, hausta sint. scilicet praeter ea quae de Gothis narrantur (94, 32 *ss.*; 101, 22 *ss.*) verba de Placidiae cognomine 99, 20 et ea quae ex eodem ut videtur auctore ecclesiastico hausta leguntur de Ambrosio (94, 1) cui loco Hieronymiana admista sunt, de Martino (96, 20) de Theodosio et Ambrosio (99, 9).

Libros XIV, XV, XVI Historiae Romanae longe gravissimos Paulus ex Gregorio et Ennodio aliisque auctoribus adhuc fere servatis conflasse et ita quidem conflasse vulgo fertur, ut quae apud eos legeret, ex ingenio amplificaret mutaret corrumperet, cum constet eum ab auctoribus, quos secutus esse dicitur, et rebus et verbis passim discrepare. at nobis ab hac opinione discedendum erat. primum enim errores, quos Paulum in conscribendis libris commisisse concedendum est, non ei sunt, ut inde in universum temerariae neglegentiae fideive corruptae crimen ei imputetur, deinde gravioris interpolationis vel mutationis certum exemplum nullum adlatum est, certum autem dico ex aliquo Historiae capite petitum, de cuius auctore constat, denique Paulum in libris III extremis eadem atque in superioribus ratione fontibus usum esse apparet ex eorum auctorum conlatione, quos quin usurpaverit Paulus, dubitari omnino nequit. sunt autem ii auctores Beda, Iordanis Romana, Prosperi chronicon, Isidorus et fortasse vita S. Severini. reliqua longe maior horum librorum pars si quid video petita est ex libris hodie deperditis; pertinent eo imprimis Pauli de Gothis relationes, quibus addenda sunt, quae libris superioribus de Athalarico Alarico Athaulfo narrantur, atque ea, quae libro XVI leguntur de historia pontificum. haec qui diligenter cum Iordanis Geticis et Libro Pontificali conferet, saepissime eadem eisdem verbis reperiet tradi, aliis autem locis legi apud Paulum, quae cum non sint apud Iordanem et in Libro Pontificali, optime cum reliquis consentiant, ut ne intellegi quidem possit, cur Paulus ea comminisci voluerit. itaque Paulum aut Iordanem Librumque Pontificalem ex aliis fontibus deperditis adauxisse aut Iordanis et Libri Pontificalis recensiones alias atque eas quas libri nostri exhibent, adhibuisse statuendum est. item non profecta sunt ex libris qui hodie extant quae narrantur de Digna (XIIII, 10), de Leone papa (XIIII, 12), de Paulino episcopo (XIIII, 18), de anima Theoderici (XVI, 10), de Benedicto Casinoque (XVI, 20), de

Benedicto et Totila (XVI, 22), fortasse ea quoque quae leguntur de Gothis (XV, 6). denique excerpta quaedam imprimis quae extant in principio libri XIIII, chronicorum quidem speciem prae se ferunt, sed nullo modo excerpta sunt ex iis quae habemus Cassiodori et Marcellini.

Berolini non. febr. 1879.

H. DROYSEN.

PAVLI

HISTORIA ROMANA.

CONSPECTVS NOTARVM

A = cod. Perusinus H 75 membr. s. XIV		
B = cod. Vindobonensis 104 membr. s. XIV		adhibiti in epistulam
C = cod. Laurentianus 89 inf. 41 s. XIII		
H = cod. Bambergensis E III 4 513 s. X vel IX		
V = cod. Vaticanus 3339 s. XI		
N = cod. Laurentianus 65, 35 s. XI		adhibiti in Historiae libros I—XVI
Z = cod. Vaticanus 7312 s. XII		
L = cod. Palatinus Landolfi 909 s. XI		
M = cod. Monacensis 3516 s. XI	adhibiti in Historiae libros XI—XVI	
B = cod. Berolinensis Lat. 4° 1. s. XIII		

E = Eutropi textus genuinus

P = consensus codicum in libris I—X, Pauli additamenta in libris XI—XVI

litteris inclinatis in libris decem primis Eutropiana, inde a libro XI ea expressa sunt, de quorum origine dubitari nequit.

numeri in margine positi uncis [ ] inclusi respondent fontium nominibus in ima pagina adscriptis.

cf. litterae praemittuntur, quotiens, num revera Paulus fontis locum laudatum usurpaverit, dubium est.

DOMINAE ADELPERGAE EXIMIAE SVMMAEQVE DVCTRICI

PAVLVS EXIGVVS ET SVPPLEX.

Cum ad imitationem excellentissimi comparis, qui nostra aetate solus paene principum sapientiae palmam tenet, ipsa quoque subtili ingenio et sagacissimo studio prudentium arcana rimeris, ita ut philosophorum aurata eloquia poetarumque gemmea dicta tibi in promptu sint, historiis etiam seu commentis tam divinis inhaereas quam mundanis, ipse, qui elegantiae tuae studiis semper fautor extiti, legendam tibi Eutropii historiam tripudians optuli. quam cum avido, ut tibi moris est, animo perlustrasses, hoc tibi in eius textu praeter immodicam etiam brevitatem displicuit, quia utpote vir gentilis in nullo divinae historiae cultusque nostri fecerit mentionem; placuit itaque tuae excellentiae, ut eandem historiam paulo latius congruis in locis extenderem eique aliquid ex sacrae textu scripturae, quo eius narrationis tempora evidentius clarerent, aptarem. at ego, qui semper tuis venerandis imperiis parere desidero, utinam tam efficaciter imperata facturus quam libenter arripui. ac primo paulo superius ab eiusdem textu historiae narrationem

---

B praemittit: historie romane a paulo diacone ordinis scti benedicti monasterii montis cassini edite ex historiis eutropii ad adelbergam ducis comparis coniugem prologus et liber primus incipit || 1 domnae *A* || adelbergae *B* || 3 et supplex *om. B* || 5 paene *om. B* || 6 et *om. BC* || prudentum *B* || 8 tibi dicta *C* || seu] et *A* || 9 quia *A* || 10 studiis *om. A* || 11 tibi ut *C* || testu (textus C^{1}) scripturae AC^{1}, scripturae textu *B.*

capiens eamque pro loci merito extendens quaedam etiam temporibus eius congruentia ex divina lege interserens eandem sacratissimae historiae consonam reddidi. et quia Eutropius usque ad Valentis tantummodo imperium narrationis suae in ea seriem deduxit, ego deinceps meo ex maiorum dictis stilo subsecutus sex in libellis superioribus, in quantum potui, haud dissimilibus usque ad Iustiniani Augusti tempora perveni promittens deo praesule, si tamen aut vestrae sederit voluntati aut mihi vita comite ad huiusmodi laborem maiorum dicta suffragium tulerint, ad nostram usque aetatem eandem historiam protelare.

vale divinis domina mater fulta praesidiis celso cum compare tribusque natis et utere felix.

---

1 excedens *A* || et *A* || 4 in eam *B* || 7 tempora augusti *C* || 8 praeside *A* || 9 huiuscemodi *A* || 10 uestram *C* || 12 suffulcta *B* || 13 tribus *A*.

LIBER PRIMVS.

Primus in Italia, ut quibusdam placet, regnavit Ianus, I deinde Saturnus Iovem filium e Graecia fugiens in civitate, quae ex eius nomine Saturnia dicta est, cuius ruinae hactenus cernuntur in finibus Tusciae haud procul ab urbe. hic Saturnus quia in Italia latuit, ab eius latebra Latium appellata est. ipse enim adhuc rudes populos domos aedificare, terras incolere, plantare vineas docuit atque humanis moribus vivere, cum antea semiferi glandium tantummodo alimentis vitam sustentarent et aut in speluncis aut frondibus virgultisque contextis casulis habitarent. ipse etiam eis nummos aereos primus instituit. pro quibus meritis ab indocili et rustica multitudine deus appellatus est.

post hunc Picus eius filius, de quo fabulose dicitur, quod a quadam famosissima maga Circe nomine ob contemptum eius amorem in avem sui nominis sit mutatus.

post hunc eius filius Faunus, qui fuit pater Latini, cuius mater Carmentis Nicostrata creditur Latinis litteras repperisse; || quibus regnantibus centum quinquaginta anni referuntur [1] evoluti. ||

regnante tamen Latino, qui Latinam linguam correxit et A Latinos de suo nomine appellavit, || Troia a Graecis capta est, [2] cum apud Hebraeos Labdon tertium sui principatus annum ageret et apud Assyrios Tautanes, apud Aegyptios Thous regnaret, expletis || a mundi principio annis quattuor milibus [3] XVIIII, a diluvio annis mille DCCLXXVII, || a nativitate Abraham [2]

---

[1] Hier. 839. [2] Hier. 835. [3] Hier. 985. *reliqua ex* Origine g. R.

---

1 INCIPIT STORIAE ROMANAE LIBER PRIMVS *H*, IN NOMINE DNI (NRI IHS XRI *add. V*) INCIPIT HISTORIAE (STORIAE *N*) ROMANAE LIBER (LIB *N*) PRIMVS (EVTROPII *add. N*) *VN, nihil praemittit Z* || 3 e] a *HL* || 7 etenim *VNZ* || 18 latinas *NZL* || 26 sexaginta septem *NZ* || abrahae *ZL*.

et quadragesimo tertio anno Nini regis Assyriorum annis
[1] DCCCXXXV, a nativitate Moysi annis CCCCX, ‖ ante urbem autem
[2] conditam annis CCCCIIII, ‖ ante primam quoque olympiadem
annis CCCCVI. ‖

capta igitur Troia Aeneas Veneris et Anchisae filius ad
[3] Italiam venit ‖ anno tertio post Troiae excidium. ‖ cum Turno
Dauni Tuscorum regis filio dimicans eum interemit eiusque
sponsam Laviniam Latini regis filiam in coniugium accepit, de
cuius etiam nomine Lavinium oppidum, quod construxerat,
[3] appellavit. ‖ regnavit igitur Aeneas Latinis annis tribus. ‖

B [4] quo vita decedente regnum suscepit Ascanius, ‖ qui et
Iulius, eiusdem Aeneae filius, quem apud Troiam ex Creusa
[5] coniuge genuerat et secum in Italiam veniens adduxerat. ‖ qui
Ascanius derelicto novercae suae Laviniae regno Albam Longam
condidit et Silvium Postumum fratrem suum Aeneae ex
[6] Lavinia filium summa pietate educavit. ‖ deinde Ascanius Iulium
filium procreavit, a quo familia Iuliorum exorta est. parvulus
[4] quia necdum regendis civibus idoneus erat, ‖ Ascanius, cum
[6] XXXVIII annis regnasset, ‖ Silvium Postumum fratrem suum
regni reliquit heredem. ‖

[7] [8] Silvius igitur Postumus regnavit annis XXVIIII, ‖ qui
Postumus ideo est appellatus, quia post mortem patris est
editus, Silvius, quia ruri fuerat educatus; a quo omnes Albanorum
reges Silvii vocati sunt. ‖

[9] post quem regnavit Aeneas Silvius annis XXXI. ‖

C [10][11] deinde Latinus Silvius annis quinquaginta, ‖ quo etiam
tempore apud Hebraeos David regnabat. ‖

[12] post cuius obitum regnavit Alba Silvius annis XXXIX. ‖

[13] post hunc Aegyptus sive Atys eius filius annis XXIIII. ‖

[14] deinde Capys Silvius superioris regis filius annis XXVIII, ‖
qui Capuam in Campania condidit. ‖

[15] item Carpentus Silvius Capis filius, annis tredecim. ‖

---

[1] Oros. 92. [2] Hier. 835. [3] Hier. 838. [4] Hier. 841. [5] Hier. 851. [6] Hier. 875. [7] Hier. 879. [8] Hier. 877. [9] Hier. 909. [10] Hier. 940. [11] Hier. 941. [12] Hier. 990. [13] Hier. 1029. [14] Hier. 1053. [15] Hier. 1081. *reliqua ex* Orig.

---

12 iulus *H*²*L* ‖ 16 summa] roma *N*, nimia *Z*² *add. i. r.* ‖ iulum *L* ‖ 17 filium] suum *HV* ‖ 21 xxx] VIIII *HV* ‖ 26 regnauit *post* silvius *NZL* ‖ annos *NZ* (*et* 29, 30) *L* ‖ 29 atyr *NZ* ‖ 30 campis *N*¹*Z* ‖ 31 campaniam *P*.

post quem Tiberinus Carpenti filius annis novem. ab [1] huius nomine Tiberinus fluvius dictus est || eo, quod in eum [2] decidens extinctus sit, || qui prius Albula dicebatur. || [1]

successit huic Agrippa Silvius regnans annis quadraginta, [3] cuius temporibus Homerus fuisse in Graecia perhibetur. ||

dehinc Aremus Silvius Agrippae superioris filius regnavit [4] annis XVIIII. iste praesidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit; qui ob impietatem fulmine ictus interiit. ||

post hunc regnavit Aventinus Silvius annis XXXVII, qui [5] fuit Aremuli superioris regis filius quique in eo monte, qui nunc pars urbis est, mortuus ac sepultus aeternum loco vocabulum dedit. ||

successor extitit Procas Silvius eiusdem Aventini filius, [6] D qui regnavit annis XXIII. || quo regnante Phidon Argivus men- [7] suras et pondera repperit, cum apud Hebraeos Azarias in Iuda et Hieroboam in Israel regnarent. ||

isti quoque Amulius succedens eius iunior filius regnavit [8] annos quadraginta tres. Numitor Procae regis maior filius a fratre Amulio regno pulsus in agro suo vixit; filia eius adimendi partus gratia virgo Vestalis electa est; quae cum septimo patrui anno geminos edidisset infantes, iuxta legem in terra viva defossa est. verum parvulos prope ripam Tiberis expositos Faustulus regii pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit, quae ob pulchritudinem et rapacitatem corporis quaestuosi lupa a vicinis appellabatur; unde et ad nostram usque memoriam meretricum cellulae lupanaria dicuntur. pueri cum adolevissent, collecta pastorum et latronum manu interfecto apud Albam Amulio avum Numitorem in regnum restituunt. ||

Romanum igitur ***imperium, quo neque ab exordio ullum*** E ***fere minus neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, a Romulo exordium habet, qui Reae Silviae Vestalis virginis,*** ut praemissum est, ***filius et, quantum putatus est, Martis cum Remo fratre uno partu editus est. is cum inter pastores latrocinaretur***, *XVIII* ***annos natus urbem exiguam in***

[1] Hier. 1094. [2] Orig. [3] Hier. 1102. [4] Hier. 1142.
[5] Hier. 1161. [6] Hier. 1198. [7] Hier. 1220. [8] Hier. 1221.

1 carpentis *VL* || 3 sit] est *L* || 6 superioris regis filius *NVL* || 11 eo *om.* *NZ* || 19 tribus *HV* || maior regis *HV* || 20 emulio *NZ* || 23 tiberis] fluminis *HV* || 29 interfectum a. a. amulium *HVNZ¹L*.

Palatino monte constituit, x Kal. Maias, Olympiadis sextae anno
[1] cccxix post Troiae excidium ¦ , sive, ut placet Orosio, cccciiii, ||
[2] ante sex annos, quam decem tribus Israel a Sennacherib rege
Chaldaeorum transferrentur in montes Medorum. ||

II *Condita* ergo *civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit,* ||
[3] a qua et Romanis nomen inditum est, *haec fere egit.* condito
templo, quod asylum appellavit, pollicitus est cunctis ad eum
confugientibus inpunitatem; quam ob causam *multitudinem*
finitimorum, qui aliquam apud suos cives offensam contraxerant,
[4] ad se confugientem *in civitatem recepit.* || Latini denique Tusci-
que pastores, etiam transmarini Phryges, qui sub Aenea, Ar-
cades, qui sub Euandro duce, influxerant. ita ex variis quasi
elementis congregavit corpus unum populumque Romanum
effecit. *centum ex senioribus legit, quorum consilio omnia*
[5] *ageret, quos senatores propter senectutem,* || patres ob similitu-
[3] dinem curae nominavit; || mille etiam pugnatores delegit, quos
A a numero milites appellavit. || *tum cum uxores ipse et populus*
suus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas
[6] *urbis Romae nationes atque earum virgines rapuit* || anno ab
urbe condita quarto. tunc una virginum pulcherrima cuncto-
rum adclamatione rapientium Talasso duci Romuli decernitur;
unde in nuptiarum sollemnitatibus Talasso vulgo clamitant, quod
scilicet talis nupta sit, quae Talassum habere mereatur. || *com-*
motis bellis propter raptarum iniuriam Caecinenses vicit, An-
temnates, Crustumios, Sabinos, Fidenates, Bizentes. haec omnia
B [7] *oppida urbem cingunt.* tunc etiam ¦ Tarpeia virgo Sabinorum
clipeis in monte obruta est, qui ab eius nomine Tarpeius est
[3] appellatus; in quo postea Capitolium est constructum. || pepi-
gere tamen Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerant,
amicitias adeo, ut Sabinorum rex Tatius pariter regnaret cum
Romulo Sabinique et Romani unus populus efficerentur. quo

---

[1] Oros. 92. [2] Hier. 1270. [3] Origo (*cf.* Hier. 1265) [4] Iord. R. 225 *M.* [5] Hier. 1289. [6] Hier. 1268. [7] Hier. 1274.

---

1 *post* anno *pergit E:* tertio post Troiae excidium ut qui plurimum minimumque tradunt anno cccxciv || 4 transfererentur *NZ,* tranferentur *V*, transferentur *HL* || 5 suo nomine *HV* || 8 fugientibus *NZ* || 9 cives suos *NZ* || 14 elegit *NZ* || 15 nominavit *post* senatores *E* || 16 elegit LV^2 || 20 quarto] iii *NZ* || 23 commissis NZ^1, commotisque *V* || 26 cingunt et cum orta subito tempestate non comparuisset anno regni xxxvii ad *E* || carpeia H^1V^1 || 28 que NZ^1 || pepigerant *N*, pepigerunt Z^1 || 29 romanis H^1V^1.

tempore Romani ad confirmandam coniunctionem nomina illorum praeponebant nominibus et invicem Sabinis Romanorum; et ex illo consuetudo tenuit, ut nemo Romanus sit absque praenomine. propter hanc etiam societatem, cum Sabinorum more Romulus hastam ferret, quae eorum lingua cyris appellabatur, Quirinus est dictus; || Romani vero sive a cyribus || [1] id est hastis sive a Quirino Quirites nominari coeperunt. || Remus denique a Fabio duce Romuli || dubium an fratris [2] [3] voluntate || rutro pastorali extinctus est; || causa autem eius [2] interitus haec fuit ||, quod ad tutelam novae urbis vallum non [3] posse sufficere increpaverit eiusque angustias saltu transilierit. || Romulus vero *cum* apud paludem Caprae nusquam *comparuisset* [4] *anno regni* XXXIX *ad deos transisse creditus est et* Quirini nomine || *consecratus. deinde Romae per quinos dies senatores imperaverunt et his regnantibus annus unus completus est.*

Postea Numa Pompilius rex creatus est, || cum apud III [5] Hebraeos Ezechias regnaret. || *qui bellum quidem nullum gessit, sed non minus civitati quam Romulus profuit. nam et leges Romanis moresque constituit, qui consuetudine proeliorum iam latrones ac semibarbari videbantur, et annum descripsit in decem menses prius sine aliqua supputatione confusum et infinita Romae sacra ac templa constituit. morbo decessit* XLI *imperii anno.* || regnante Numa Glaucus primus ferri inter se glutinum [6] excogitavit. ||

Huic successit Tullus Hostilius. || hic primus Romanorum IIII [7] purpura et fascibus usus est, Manasse in Iudaea regnante. || *hic bella reparavit, Albanos vicit, qui ab urbe Roma duodecimo miliario sunt, Veientes et Fidenates, quorum alii septimo miliario absunt ab urbe Roma, alii octavo decimo, bello superavit. urbem ampliavit adiecto Caelio monte. cum* XXXII *annos regnasset, fulmine ictus cum domo sua arsit.* || his temporibus Byzantium [8] civitas est condita, || quae postea Constantinopolis est appellata. || [9]

Post hunc Ancus Marcius Numae ex filia nepos suscepit V *imperium.* || quo etiam tempore Iosias regnabat apud Hebraeos. || [10]

---

[1] Hier. 1274. [2] Hier. 1266. [3] Iord. R. 225 *M* [4] Hier. 1300. [5] Hier. 1276. [6] Hier. 1325. [7] Hier. 1339. [8] Hier. 1359. [9] Or. 175. [10] Hier. 1372.

---

1 suis *add. post* illorum *NZL* || 6 cyrinus *HV* || 7 coeperant *NZ* || 8 romuli fratris (eris N^1, eri N^2, seri *Z*) eiusdem ut fertur uoluntate *NZL* || 15 et *om.* *NZ* || 17 hiezechias *V*, hezechias *HL* || 20 annus HV^1 || 25 Tullius ZN^2 || 28 absunt ZN^2V^2.

contra Latinos dimicavit, Aventinum montem civitati adiecit et
Ianiculum, apud Ostiam civitatem supra mare sexto decimo
miliario ab urbe Roma condidit. vicesimo tertio anno imperii
[1] *morbo periit.* ‖ hoc tamen regnante Epidamnus est condita, quae
postea Dyrrhachium est nominata. ‖

VI *Deinde regnum Priscus Tarquinius accepit. hic numerum*
senatorum duplicavit, circum Romae aedificavit, ludos Romanos
instituit, qui ad nostram memoriam permanent. vicit idem
etiam Sabinos et non parum agrorum sublatum hisdem Romae
urbis territorio iunxit primusque triumphans Romam intravit.
muros fecit et cloacas, Capitolium inchoavit. XXXVII *imperii*
anno per Anci filios occisus est regis eius, cui ipse successerat. ‖
[2] regnante Tarquinio Arion Methymnaeus a delphino in Taena-
[3] rum dicitur transportatus ‖ ; tunc est etiam Massilia condita. ‖
[4] eodemque tempore Hierusalem a Nabuchodonosor rege sub-
versa. ‖

VII *Post hunc Servius Tullius suscepit imperium, genitus ex*
[5] *nobili femina captiva tamen et ancilla.* ‖ regnavitque annis
[6] triginta quattuor; ‖ quo regnante Balthasar imperabat Chal-
daeis, sub quo Danihel scripturam mysticam in pariete legit
et interpretatus est. ‖ *hic quoque Sabinos subegit, montes tres*
Quirinalem Viminalem Aesculinum urbi adiunxit, fossas citra
murum duxit. primus omnium census ordinavit, qui adhuc
per orbem terrarum incognitus erat. sub eo Roma omnibus in
censum delatis habuit capita LXXXIIII *milia civium Romanorum*
cum his, qui in agris erant. occisus est scelere generis sui
Tarquinii Superbi, filii eius regis, cui ipse successerat, et filiae,
quam Tarquinius habebat uxorem.

VIII *L.* dehinc *Tarquinius Superbus septimus atque ultimus*
[7] *regum* invasit imperium. ‖ quo tempore ad relaxationem Cyri
regis Persarum reversi sunt Hierosolymam Iudaei quadraginta
[8] duo milia quadringenti. ‖ iste primus excogitavit vincla taureas
fustes lautumias carceres compedes catenas exilia metalla. ‖

---

[1] Hier. 1391. [2] Hier. 1400. [3] Hier. 1420. [4] Hier. 1426. [5] Hier. 1436. [6] Hier. 1441. [7] *cf.* Hier. 1456. [8] Hier. 1470.

---

2 hostiam *V*, hostium *H* ‖ 3 quarto *LE* ‖ 4 epidaurus *HVN²Z* ‖ 5 dyracium *PL* ‖ 6 dein *HV¹* ‖ 10 romam] formam *NZ¹*, urbem *E* ‖ 13 internarum *N*, in thermarum *HV*, in terrenum *Z* ‖ 14 est] eius *N*, is *Z* ‖ 15 chaldaeorum *post* rege *add.* *NZ²L* ‖ 17 tullus *VN¹* ‖ 22 quirimalem *HV* ‖ 23 censum *NZ* ‖ 29 septimus *post* atque *NZ¹* ‖ 30 regnum *N¹Z¹* ‖ 31 hierusolima *L*, in hierosolima *NZ*.

Vulscos, quae gens ad Campaniam euntibus non longe ab urbe est, vicit, Gabios civitatem et Suessam Pometiam subegit, cum Tuscis pacem fecit et templum Iovi in Capitolio aedificavit. postea Ardeam obpugnans in octavo decimo miliario ab urbe Roma positam civitatem imperium perdidit. nam cum filius eius et ipse Tarquinius iunior nobilissimam Conlatini uxorem stuprasset eaque de iniuria marito et patri et amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit. propter quam causam Brutus parens et ipse Tarquinii populum concitavit et Tarquinio ademit imperium. mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege obpugnabat, reliquit veniensque ad urbem rex portis clausis exclusus est, cumque imperasset annos || xxxv, || [1] *cum uxore et liberis suis fugit. ita Romae regnatum est per septem reges annis* ccxliii, *cum adhuc Roma ubi plurimum vix usque ad quintum decimum miliarium possideret.* || Tarquinii [2] sane temporibus castissima Iudith Holofernem peremit. || isdem- [3] que temporibus Pythagoras philosophus claruit, qui Samo oriundus Crotone docuit novissime Metapontum adiit ibique sepultus est. ||

Hinc consules coepere, pro uno rege duo hac causa creati, VIIII *ut, si unus malus esse voluisset, alter eum habens potestatem similem coerceret. et placuit, ne imperium longius quam annum haberent, ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur sed civiles semper essent, qui se post annum scirent esse privatos. fuerunt igitur anno primo expulsis regibus consules L. Iunius Brutus, qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur, et Tarquinius Conlatinus maritus Lucretiae. sed Tarquinio Conlatino statim sublata est dignitas. placuerat enim, ne quisquam in urbe remaneret, qui Tarquinius vocaretur. ergo accepto omni patrimonio suo ex urbe migravit et in loco ipsius factus est L. Valerius Publicola consul. commovit tamen bellum urbi Romae rex Tarquinius, qui fuerat expulsus et collectis multis gentibus, ut in regnum posset restitui, dimicavit. in prima* X *pugna Brutus consul et Arruns Tarquinii filius in vicem se occiderunt, Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Romanae matronae defensorem pudicitiae suae quasi communem patrem per annum luxerunt. Valerius Publicola*

---

[1] Hier. 1470. [2] *cf.* Hier. 1487. [3] *cf.* Iustin. 20, 4.

---

2 et suessam et N^2Z || 14 annos N^1Z^1 || 16 sane] ante NZ^2, * an * Z^1 || 17 phithagoras *NZ* || 18 cotrone deguit *PL* || 25 iam regibus *NZ* || 34 tarrun N^1Z ||

Sp. Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit Lucretiae patrem. quo morbo mortuo iterum Horatium Pulvillum collegam sibi sumpsit. ita primus annus quinque consules habuit, cum Tarquinius Conlatinus propter nomen urbe cessisset, Brutus in proelio perisset, Sp. Lucretius morbo mortuus esset.

XI *Secundo quoque anno iterum Tarquinius, ut reciperetur in regnum, bellum Romanis intulit auxilium ei ferente Porsenna Tusciae rege et Romam paene cepit. verum tum quoque victus est.*

tertio anno post reges exactos Tarquinius cum suscipi non posset in regnum neque ei Porsenna, qui pacem cum Romanis fecerat, praestaret auxilium, Tusculum se contulit, quae civitas non longe ab urbe est, atque ibi per quattuordecim annos privatus cum uxore consenuit.

quarto anno post reges exactos cum Sabini Romanis bellum intulissent, victi sunt et de his triumphatum est.

quinto anno L. Valerius, ille Bruti collega et quater consul, fataliter mortuus est adeo pauper, ut collatis a populo nummis sumptum habuerit sepulturae. quem matronae sicuti Brutum per annum luxerunt.

XII *Nono anno post reges exactos cum gener Tarquinii ad iniuriam soceri vindicandam ingentem collegisset exercitum, nova Romae dignitas est creata, quae dictatura appellatur, maior quam consulatus. eodem anno etiam magister equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. neque quicquam similius potest dici quam dictatura antiqua huic imperii potestati, quam nunc tranquillitas vestra habet, maxime cum Augustus quoque Octavius, de quo postea dicemus, et ante eum C. Caesar sub dictaturae nomine atque honore regnaverint. dictator autem Romae primus fuit Larcius, magister equitum primus Sp. Cassius.*

XIII *Sexto decimo anno post reges exactos seditionem populus Romae fecit, tamquam a senatu atque a consulibus premeretur. tum et ipse sibi tribunos plebis quasi proprios iudices et defensores creavit, per quos contra senatum et consules tutus esse* [1] *posset.* ‖ eodem tempore concedente Xerxe Persarum rege Neemias Iudaeam venit muros urbemque restituit. ‖

---

[1] Hier. 1569.

---

1 patrem Lucretiae *HV* ‖ 17 lucilius *NZ* ‖ 21 generum *HV* ‖ 25 nec *HVL* ‖ 27 octauianus *N²Z* ‖ 31 populus] post *HV¹* ‖ 32 tamque *HV* ‖ opprimeretur *HV* ‖ 35 xerse *HV*, xerxen *L*.

XIIII *Sequenti anno Vulsci contra Romanos bellum reparaverunt et victi acie etiam Coriolos civitatem quam habebant optimam perdiderunt.*

XV *Octavo decimo anno postquam reges eiecti erant, expulsus ex urbe Q. Marcius dux Romanus, qui Coriolos ceperat Vulscorum civitatem, ad ipsos Vulscos contendit iratus et auxilia contra Romanos accepit. Romanos saepe vicit, usque ad quintum miliarium urbis accessit, obpugnaturus etiam patriam suam legatis, qui pacem petebant, repudiatis, nisi ad eum mater Veturia et uxor Velumnia ex urbe venissent, quorum et precatione superatus removit exercitum. atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.*

XVI *C. Flavio et L. Virginio consulibus trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra Veientes bellum soli susceperunt promittentes senatui et populo per se omne certamen implendum. itaque profecti omnes nobiles et qui singuli magnorum exercituum duces esse deberent, in proelio conciderunt. unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter aetatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. post haec census in urbe habitus est, inventa sunt civium* cxvii *milia* cccxviii.

XVII *Sequenti tamen anno cum in Algido monte ab urbe duodecimo fere miliario Romanus obsideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus dictator est factus, qui agrum quattuor iugerum possidens manibus suis colebat. is cum in opere et arans esset inventus, sudore deterso togam praetextatam accepit et caesis hostibus liberavit exercitum* || iugumque boum Aequis imposuit [1] victoriamque quasi stivam tenens subiugatos hostes prae se primus egit. ||

XVIII *Anno trecentesimo et altero ab urbe condita imperium consulare cessavit et pro duobus consulibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent ac decemviri nominati sunt. sed cum primo anno bene egissent, secundo ex his Ap. Claudius Virgini cuiusdam, qui honestis iam stipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit; quam pater occidit, ne stuprum a decemviro sustineret, et egres-*

---

[1] Oros. 141.

---

1 sequente *NZ* || 9 uetueria *HV* || 14 uegentes *NZ* || 19 poterat *HV* || 22 ferme *NZ* || 27 prae esse *Z*, praesse *N*, per se *L* || 33 uirginii *V*, uerginii *L*, uirgii *N*, uirgi *Z* || 34 alligido *NZ*[1] || 35 decemuiris *N*[2]*Z*.

sus ad milites movit tumultum. sublata est decemviris potestas ipsique damnati sunt.

XVIIII *Anno* CCCXV *ab urbe condita Fidenates contra Romanos rebellaverunt. auxilium his praestabant Veientes et rex Veientium Tolumnius, quae ambae civitates tam vicinae urbi sunt, ut Fidenae vel Veientium octavo decimo miliario absint. coniunxerunt se his et Vulsci. sed Mam. Aemilio dictatore et L. Quintio Cincinnato magistro equitum victi etiam regem perdiderunt. Fidenae captae et excisae.*

XX *Post viginti inde annos Veientani rebellaverunt. dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie, mox etiam civitatem diu obsidens cepit antiquissimam Italiae atque ditissimam. postea cepit et Faliscos, non minus nobilem civitatem. sed commota est ei invidia, quasi praedam male divisisset, damnatusque ab ea causa et expulsus est civitate. statim Galli Senones ad urbem venerunt et victos Romanos undecimo miliario a Roma apud flumen Alliam secuti etiam urbem occupaverunt. neque defendi quicquam nisi Capitolium potuit; quod cum diu obsedissent et iam Romani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis superventum est gravissimeque victi sunt. postea tamen accepto* [1] *etiam auro* || mille librarum, || *ne Capitolium obsiderent, recesserunt, sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant, militaria signa revocaret. ita tertio triumphans urbem ingressus est et appellatus secundus* [2] *Romulus quasi et ipse patriae conditor.* || circa haec tempora [3] Hester putatur historia conscripta. || Plato quoque philosophus his fuisse temporibus perhibetur || .

---

[1] Or. 141. [2] *cf.* Iord. R 224. [3] Hier. 1628.

---

4 uegentes *VNZ* || uegenontium *NZ*[1] || 6 fidinae *NZ* || uegentum *VN* || 8 uicti] iuncti *HV* || 9 excisae sunt *NZ* || 10 inde *om.* *NZ* || ueletani *HVZ*, uegentani *N*, uegetani *L* || 21 est *om.* *HV*[1].

LIBER SECVNDVS.

Anno trecentesimo sexagesimo quinto ab urbe condita, post I
captam autem primo, dignitates mutatae sunt et pro duobus consulibus facti tribuni militares consulari potestate. hinc iam coepit Romana res crescere. nam Camillus eo anno Vulscorum civitatem, quae per septuaginta annos bellum gesserat, vicit et Aequorum urbem et Sutrinorum atque omnes deletis earundem exercitus occupavit et tres simul triumphos egit.

T. etiam Quintius Cincinnatus Praenestinos, qui usque ad II
urbis Romae portas cum bello venerunt, persecutus ad flumen Alliam vicit, octo civitates, quae sub ipsis agebant, Romanis adiunxit, ipsam Praenestem adgressus in deditionem accepit; quae omnia ab eo gesta sunt viginti diebus, triumphusque ipsi decretus.

Verum dignitas tribunorum militarium non diu perseveravit. III
nam post aliquantum nullos placuit fieri et quadriennium in urbe ita fluxit, ut potestates ibi maiores non essent. praesumpserunt tamen tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem et triennium perseveraverunt; rursus consules facti.

L. Genucio et Q. Servilio consulibus mortuus est Camillus. IIII
honor ei post Romulum secundus delatus est. || his temporibus [1]
inmensa per continuum biennium Romanos pestis afflixit |
sequentique anno secutum est satis triste prodigium, si qui- [2]
dem in medio urbis terra dissiluit vastoque praeruptu hiantia subito inferna patuerunt. quod cum diutius ita maneret

---

[1] Or. 157. [2] Or. 158.

---

5 uulsicorum *NZ* || 7 omne *N*, omnibus Z^2 || 8 exercitibus *NZ* || tres *om.* NZ^1 || 13 ea HV^1 || diebus] duobus NZ^1 || decretus est *NZL* || 17 praesumpserant *NZ* || 20 et *om.* *NZ* || 21 est *om.* *NZ* || 23 secutus V^1H^1 || 24 terram dissoluit *NZ* || praerupto *PL* || 25 dum *VZL*.

cunctisque terrorem inferret, tandem interpretantibus haruspicibus, quod vivi hominis sepulturam expeteret, M. Curtius eques Romanus se in id baratrum armatus iniecit sicque conclusum est. ||

V interea *T. Quintius dictator adversus Gallos, qui ad Italiam venerant, missus est. hi ab urbe quarto miliario trans Anienem fluvium consederunt. ibi nobilissimus de senatoribus iuvenis L. Mallius provocantem Gallum ad singulare certamen progressus occidit et sublato torque aureo colloque suo inposito in perpetuum Torquati et sibi et posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt, mox per C. Sulpicium dictatorem etiam victi. non multo post a C. Marcio Tusci victi sunt et octo milia captivorum ex his in triumphum ducta.*

VI *Census iterum habitus est. et cum Latini, qui a Romanis subacti erant, milites praestare nollent, ex Romanis tantum tirones lecti sunt factaeque legiones decem, qui modus sexaginta vel amplius armatorum milia efficiebat. parvis adhuc Romanis rebus tanta tamen in re militari virtus erat. quae cum profecta essent adversum Gallos duce L. Fario, quidam ex Gallis unum ex Romanis, qui esset optimus, provocavit. tum se M. Valerius tribunus militum optulit, et cum processisset armatus, corvus ei supra dextrum brachium sedit. mox commissa adversum Gallum pugna idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum possit aspicere. ita a tribuno Valerio interfectus non solum victoriam ei sed etiam nomen dedit. nam postea idem Corvinus est dictus. ac propter hoc meritum*
[1] *annorum trium et viginti consul est factus.* || tunc siquidem dilata nox usque ad plurimam diei partem tendi visa est. tunc etiam saxa de nubibus cecidere eodemque tempore Magnus Alexander natus est. ||

VII *Latini, qui noluerant milites dare, hoc quoque a Romanis exigere coeperunt, ut unus consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est et ingenti pugna superati sunt; ac de his perdomitis triumphatum est. statuae consulibus ob meritum*

---

[1] Or. 161.

---

3 romanos *HV*¹ || 6 hii *NZ* || 7 consederant *NZ* || 11 uicti] uicit *NZ* || 15 nollent *om. HV*¹ || tantum *om. NZ* || 19 furio *L*, purio *NZ* || 24 nec *HV* || 26 postea *om. VNZ* || ipse coruus *NZ* || meritorum *HV*¹ || 28 dilatata *VNZL* || 31 noluerunt *NZ*.

victoriae in rostris positae sunt. eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est.

VIII *Iam Romani potentes esse coeperant. bellum enim in centesimo et tricesimo fere miliario ab urbe apud Samnitas gerebatur, qui medii sunt inter Picenum Campaniam et Apuliam;* || gentem, si opulentiam quaeras, aureis et argenteis armis et [1] discolori veste usque ad ambitum ornatam; si insidiarum fallaciam, saltibus fere et montium fraude grassantem; si rabiem ac furorem, sacrilegis humanisque hostiis in exitium orbis agitatam; si pertinaciam, sexies rupto foedere ipsis hostibus animosiorem. || denique priusquam cum Romanis confligerent, [2] Alexandrum regem Epirotarum germanum Olympiae matris Alexandri Magni, qui traiectis in Italiam copiis bellum adversus Romanos parabat, Lucanis suffragium ferentes maximo bello in Lucania vicere, in quo et ipse Alexander Epirota extinctus est. || Romani igitur adversum Samnitas pro Cam- [3] panis et Sidicinis bellum suscepere. || omnium siquidem non [1] modo Italiae tantum sed paene toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est: nihil hospitalius mari; hic illi nobiles portus Caieta Misenus, tepentes fontibus Baiae, Lucrinus et Avernus, quaedam maris ostia; hic amici vitibus montes Gaurus Falernus Massicus et pulcherrimus cunctorum Vesuvius, urbes ad mare Formiae Cumae Puteoli Herculanium Pompeia et ipsa caput urbium Capua quondam inter tres maximas Romam Carthaginemque nominata. pro hac urbe, his regionibus populus Romanus Samnitas invadit. || *L. Papirius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum profectus est. qui cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, praecepit, ne se absente pugnaret. ille occasione reperta felicissime dimicavit et Samnitas delevit. ob quam rem a dictatore capite damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum et populi liberatus est tanta Papirio seditione commota, ut paene ipse interficeretur.*

VIIII *Postea Samnites Romanos T. Veturio et Sp. Postumio con-*

---

[1] Iord. R. 228. [2] Or. 166. [3] Or. 162.

---

7 ornatum *HVZ* || 9 sacris legibus *P*, sacrilegibus *L* || innoxium *NZ*[1] || 17 sedicinis *HV*, sedecinis *L* || suscipere *HVL* || 19 illic *NZ* || 21 hostiae *NZ* || 22 caurus *P*, scaurus *L* || 23 formicae *HV* || hircolanum *HV*, hirculanium *LN* || 26 samnites *HV* || et Lucius *N*[2]*Z* || 34 samnitas *NZ*.

[1] *sulibus* ‖ apud Caudinas furculas angustiis locorum conclusos ‖ *ingenti dedecore vicerunt.* ‖ quorum dux Pontius in tantum usus est victoriae securitate, ut Herennium patrem consulendum putaret, utrum clausos occideret an parceret subiugatis. ut vivos tamen dedecori servaret, elegit; nam universum Romanum exercitum turpiter captum armis etiam vestimentisque nudatum tantum singulis vilioribus operimentis ob verecundiam corporum tegendam concessis sub iugo missum servitioque subiectum longum agere pompae ordinem praeceperunt. sexcentis autem equitibus Romanis in obsidatum receptis oneratos ignominia ceteris rebus vacuos consules remiserunt, ‖ sub tali tamen condicione pacis, qualis facienda Samnitibus A [2] placuit. ‖ sed si fidem foederis, quam sibi Romani servari a subiectis volunt, ipsi subiecti Samnitibus servavissent, hodie aut omnino non essent aut Samnio dominante servirent. posteriore siquidem anno ‖ *iubente senatu pax* cum Samnitibus firmata *soluta est Luciusque Papirius consul adversus eos directus* [3] *est;* ‖ qui adeo tunc apud Romanos bellicosissimus habebatur, ut cum diceretur Alexander in Italiam transgredi, Romani inter ceteros duces hunc praecipue eligerent, qui Alexandri impetum sustineret. ‖ congressi itaque Samnites cum *Papirio superati sunt, quorum septem milibus sub iugum missis Papirius de Samnitibus triumphavit. eo tempore Ap. Claudius censor* [4] *aquam Claudiam induxit et viam Appiam stravit.* ‖ circa haec [5] tempora Iaddus apud Hierosolymam pontifex extitit, ‖ cuius frater Manasses templum in monte Garizim construxit. ‖ *Samnites reparato bello Q. Fabium Maximum vicerunt tribus milibus hominum occisis. postea cum pater ei Fabius Maximus legatus datus fuisset, et Samnitas vicit et plurima ipsorum oppida cepit. deinde P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus, ambo consules, contra Samnitas missi ingentibus proeliis eos confe-* [6] *cere* ‖ ita ruinas ipsas diruentes, ut hodie Samnium in ipso

---

[1] Or. 178. [2] Or. 179. [3] Or. 180. [4] Hier. 1678. [5] Hier. 1681. [6] Iord. R. 228.

---

2 uicerunt et sub iugum miserunt. pax tamen a senatu et populo soluta est, quae cum ipsis propter necessitatem facta fuerat. postea Samnites uicti sunt a L. Papirio consule vii milia eorum s. i. missa Papirius *E* ‖ 8 concessit *NZ* ‖ 13 si *om.* NZ^1 ‖ 18 bellicosissimos H^1V^1 ‖ 19 duceretur *NZ* ‖ italia *VNZ* ‖ transuehi *NZL* ‖ romanos N^1, romam HV^1 ‖ 21 sustinerent N^1V^1 ‖ 22 iugo *HV* ‖ 23 eodem *NZ* ‖ 25 hierusolymam *L* ‖ 26 garizi *HV* ‖ 31 missis NZ^1 ‖ conferre *NZ*.

Samnio requiratur nec inveniri facile possit. || *tum bellum cum Samnitibus per annos quadraginta novem actum* sublatum est *neque ullus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigaverit.*

X *Interiectis aliquot annis iterum se Gallorum copiae contra Romanos Tuscis Samnitibusque iunxerunt, sed cum Romam tenderent, Cn. Cornelio Dolabella consule deletae sunt.*

XI *Eodem tempore Tarentinis, qui iam in ultima Italia sunt, bellum indictum est, quia legatis Romanorum iniuriam fecissent. hi Pyrrum Epiri regem contra Romanos auxilium poposcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. is mox ad Italiam venit, tumque primum Romani cum transmarino hoste dimicaverunt. missus est contra eum consul P. Valerius Laevinus. qui cum exploratores Pyrri cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum tumque dimitti, ut renuntiarent Pyrro, quae cum Romanis agerentur. commissa mox pugna cum iam Pyrrus fugeret, elephantorum auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt. sed nox proelio finem dedit; Laevinus tamen per noctem fugit. Pyrrus Romanos mille octingentos cepit et eos summo honore tractavit, occisos sepelivit. quos cum adverso vulnere et truci vultu etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad caelum manus dicitur cum hac voce: se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.*

XII *Post id Pyrrus coniunctis sibi Samnitibus Lucanis Brittiniisque Romam perrexit, omnia ferro ignique vastavit, Campaniam populatus est atque ad Praeneste venit miliario ab urbe octavo decimo. mox terrore exercitus, qui eum cum consule sequebatur, in Campaniam se recepit. legati ad Pyrrum de redimendis captivis missi ab eo honorifice suscepti sunt. captivos sine pretio Romam misit, unum ex legatis Romanorum Fabricium sic admiratus, cum eum pauperem esse cognovisset, ut quarta parte regni promissa sollicitare voluerit, ut ad se transiret, contemptusque est a Fabricio.* ob quae *cum Pyrrus Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem aequis condicionibus peteret, praecipuum virum Cineam nomine, ita ut Pyrrus partem Italiae, quam iam armis occupaverat, obtineret.* || Cineas legatus postero die, quam ingressus [1] Romam fuerat, et equestrem ordinem et senatum propriis

[1] Solinus 1, 109.

1 sannio *NZ* || tunc *NZ* || 2 sustulerunt *E* || 3 qui] que N^1Z^1 || 7 labella *HV* || 11 quia *HV* || 15 tumque] eumque *HV* || nuntiarent *NZ* || 24 brittiisque *L* || 33 est *om. NZ* || ob quae] quare *E.*

XIII nominibus salutavit, ‖ *pax* tamen, quam offerebat, *displicuit: remandatum Pyrro est a senatu eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. tum Romani iusserunt captivos omnes, quos Pyrrus reddiderat, infames haberi, quod armati capi potuissent, nec ante eos ad veterem statum reverti, quam sibi notorum hostium occisorum spolia retulissent. ita legatus Pyrri reversus est. a quo cum quaereret Pyrrus, qualem Romam comperisset, Cineas dixit, regum se patriam vidisse; scilicet tales illic fere omnes esse, qualis unus Pyrrus apud Epirum et reliquam Graeciam putaretur.*

missi sunt contra Pyrrum ducem P. Sulpicius et Decius consules. certamine commisso Pyrrus vulneratus est, elephanti interfecti, viginti milia caesa hostium et ex Romanis tantum quinque milia; Pyrrus Tarentum fugatus.

XIIII *Interiecto anno contra Pyrrum Fabricius est missus, qui prius inter legatos sollicitari non poterat quarta regni parte promissa. tum cum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrri nocte ad eum venit promittens veneno se Pyrrum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum Pyrroque dici, quae contra caput eius medicus spopondisset. tum rex admiratus eum dixisse fertur: ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quam sol a cursu suo averti potest. tum rex ad Siciliam profectus est. Fabri-*
A *cius victis Lucanis et Samnitibus triumphavit. consules deinde Curius Dentatus et Cornelius Lentulus adversum Pyrrum missi sunt. Curius contra eum pugnavit, exercitum eius cecidit, ipsum Tarentum fugavit, castra cepit. ea die caesa hostium viginti tria milia. Curius in consulatu triumphavit. primus Romam elephantos quattuor duxit. Pyrrus etiam a Tarento mox recessit et apud Argos Graeciae civitatem occisus est.* ‖
[1] apud Iudaeos hoc tempore pontifex maximus Simon Oniae
[2] filius claruit, cui cognomentum Iusto fuit. ‖ dehinc Tarentini Pyrri morte comperta iterum nova arma adversum Romanos sollicitant. Carthaginiensium auxilia per legatos poscunt atque accipiunt. Carthaginienses a Romanis vincuntur; quamvis nondum hostes iudicati senserunt tamen se posse a Romanis superari. ‖

---

[1] Hier. 1717. [2] Or. 220.

---

7 est *om. HV* ‖ 22 qui — 23 Fabricius *om. N*, qui — 24 uictis *om. Z* ‖ 29 taranto *HV* ‖ 30 argis *HV* ‖ 32 tarentino N^1Z^1 ‖ 34 cartaginensium *NZL*.

XV *C. Fabio Licinio, C. Claudio Cannia consulibus anno urbis conditae quadringentesimo sexagesimo primo legati Alexandrini a Ptolomaeo missi Romam venere et a Romanis amicitiam, quam petierant, obtinuerunt.*

XVI *Q. Gulone, Favio Pictore consulibus Picentes bellum commovere et ab insequentibus consulibus P. Sempronio, Ap. Claudio victi sunt; et de his triumphatum est. conditae a Romanis civitates Ariminus in Gallia et Beneventum in Samnio.* || tunc etiam a Romanis Cotrona invaditur. || eo tempore pluri- [1] [2] bus locis e fontibus cruor fluxit et de nubibus in specie pluviae lac descendit. ||

XVII *M. Atillio Regulo, L. Iulio Libone consulibus Sallentinis in Apulia bellum indictum est, captique sunt cum civitate simul Brundisini, et de his triumphatum est.*

XVIII *Anno quadringentesimo septuagesimo septimo cum iam clarum urbis Romae nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. ut igitur cognosceretur, quae copiae Romanorum essent, census est habitus, tum inventa sunt civium capita ducenta nonaginta duo milia trecenta triginta quattuor, quamquam a condita urbe numquam bella cessassent. et contra Afros bellum susceptum est primum Ap. Claudio, Q. Fulvio consulibus. in Sicilia contra eos pugnatum est et Ap. Claudius de Afris et rege Siciliae Hierone triumphavit.*

XVIIII *Insequenti anno Valerio Marco et Otacilio consulibus in Sicilia a Romanis res magnae gestae sunt. Tauromenitani Catinenses et praeterea quinquaginta civitates in fidem acceptae.*

tertio anno in Sicilia contra Hieronem regem Siculorum bellum paratum est. cum omni nobilitate Syracusanorum pacem a Romanis impetravit deditque argenti ducenta talenta. Afri in Sicilia victi sunt, et de his secundo Romae triumphatum est.

XX *Quinto anno Punici belli quod contra Afros gerebatur, primum Romani C. Duillo et Cn. Cornelio Asina consulibus in mari dimicaverunt paratis navibus rostratis, quas Liburnas vocant. consul Cornelius fraude deceptus est. Duillius commisso proelio Carthaginiensium ducem vicit, triginta et unam navem cepit, quattuordecim mersit, septem milia*

---

[1] Hier. 1734. [2] Or. 222.

---

1 fauinio (fauilio *Z*) cinnio *NZ* || urbe *NZ*¹ || 5 fictore *NZ*¹ || 8 sannio *NZ* || 9 cratona *NZ* || 12 atilio *L*, adillio *NZ* || 25 tauronemitani *NZ* || 34 deillius *NZ* || 36 naues *HV* || quattuordecim mersit *om. NZ*.

hostium cepit, tria milia occidit. neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra iam etiam mari plurimum possent.

C. Aquilio Floro, L. Scipione consulibus Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa milia inde captivorum adduxit, triumphum egit.

XXI *L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo consulibus bellum in Africam translatum est. contra Hamilcarem Carthaginiensium ducem in mari pugnatum, victusque est. nam perditis sexaginta quattuor navibus retro se recepit. Romani viginti duas amiserunt. sed cum in Africam transissent, primam Clipeam Africae civitatem in deditionem acceperunt. consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis Manlius victor Romam rediit et viginti septem milia captivorum reduxit, Atilius Regulus in Africa remansit. is contra Afros aciem instruxit. contra tres Carthaginiensium duces dimicans victor fuit, xviii milia hostium cecidit, quinque milia cum xviii elephantis cepit,*
A[1] *septuaginta quattuor civitates in fidem accepit.* || inter haec apud fluvium Bagrada Regulus serpentem mirae magnitudinis occidit, cuius corium centum viginti pedum longitudinem habuit Romamque delatum aliquandiu cunctis miraculo fuit. || *tum victi Carthaginienses pacem a Romanis petiverunt. quam cum Regulus nollet nisi durissimis condicionibus dare, Afri auxilium a Lacedaemoniis petiverunt. et duce Xantippo, qui a Lacedaemoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie. nam duo tantum ex omni Romano exercitu refugerunt, quingenti cum imperatore Regulo capti sunt, triginta milia*
[2] *occisa, Regulus ipse in catenas coniectus.* || hac tempestate Ptolomaeus Philadelphus Iudaeos, qui in Aegypto erant, liberos esse permisit et vasa Eleazaro pontifici Hierosolymorum votiva transmittens divinas scripturas in Graecam vocem ex Hebraea lingua per septuaginta interpretes transferre curavit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litteraturae comparaverat. ||

XXII *M. Aemilio Paulo, Ser. Fulvio Nobiliore consulibus ambo Romani consules ad Africam profecti sunt cum trecentarum navium classe. primum Afros navali certamine superant. Aemi-*

---

[1] Or. 236. [2] Hier. 1736.

---

4 iscipio NZ^1 || 15 africam *NZ* || 24 lacedaemoniis (*post* a)] lacte *H*, lac *V* || 28 catene NZ^1 || 37 aemilius] et melius *NZ*.

lius consul centum et quattuor naves hostium demersit, triginta cum pugnatoribus cepit, quindecim milia hostium aut occidit aut cepit, militem suum ingenti praeda ditavit. et subacta Africa tunc fuisset, nisi quod tanta fames erat, ut diutius exercitus exspectare non possit. consules cum victrici classe redeuntes circa Siciliam naufragium passi sunt. et tanta tempestas fuit, ut ex quadringentis sexaginta navibus octoginta servari potuerunt, neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani statim ducentas naves reparaverunt, neque in aliquo animus his infractus fuit. ‖ hoc tempore argenteus nummus [1]
primum in urbe figuratus est. ‖

Cn. Servilius Caepio, C. Simpronius Blaesus consules cum XXI
ducentis sexaginta navibus ad Africam profecti sunt. aliquot civitates ceperunt. praedam ingentem reducentes naufragium passi sunt. itaque cum continuae calamitates Romanis displicerent, decrevit senatus, ut a maritimis proeliis recederetur et tantum sexaginta naves ad praesidium Italiae salvae essent.

L. Caecilio Metello, C. Furio Placido consulibus Metellus XXIIII
in Siciliam Afrorum ducem cum CXXX *elephantis et magnis copiis venientem superavit,* XX *milia hostium cecidit,* XXVI *elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit et Romam deduxit ingenti pompa, cum* CXXX *elephantorum numerus omnia itinera conpleret. post haec mala Carthaginienses Regulum ducem, quem ceperant, petiverunt, Romam proficisceretur et pacem a Romanis obtineret ac permutationem captivorum faceret. ille Romam cum venisset, inductus* XXV
in senatum nihil quasi Romanus egit dixitque se ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, Romanum esse desisse. itaque et uxorem a conplexu removit et senatui suasit, ne pax cum Poenis fieret: illos enim fractos tot casibus spem nullam habere; tanti non esse, ut tot milia captivorum propter unum se et senem et paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. itaque obtinuit. nam Afros pacem petentes nullus admisit. ipse Carthaginem rediit offerentibusque Romanis, ut eum Romae tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua post-

---

[1] Hier. 1747.

---

1 dimersit *NZ* ‖ 2 quintum decimum *HV*, *om.* milia ‖ 8 potuerint *H* ‖ 9 romani tamen statim *HVL* ‖ 12 cn.] gi *NZ* ‖ simphronius *HV* ‖ 13 aliquas *HV* ‖ 20 xxvi] sexaginta N^2Z ‖ 23 itinere *NZ*, in itinere *H* ‖ 24 ut romam Z^2 ‖ 28 dedisse NZ^1L^1 ‖ 32 redderent *HN*.

quam Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset.
[1] *regressus igitur ad Africam* || circumcisis palpebris, ut usque
ad mortem cruciatu intolerabili ac dolore vigilaret, || demum
omnibus suppliciis extinctus est.

XXVI *Post Claudio Pulchro, C. Iunio consulibus Claudius contra*
auspicia pugnavit et a Carthaginiensibus victus est. nam ex
ducentis et viginti navibus cum triginta fugit, nonaginta cum
pugnatoribus captae sunt, demersae ceterae. alius quoque con-
sul naufragio classem amisit, exercitum tamen salvum habuit,
[2] *quia vicina litora erant.* || anno etiam consequenti classis Pu-
nica in Italiam transiit eiusque plurimas partes longe lateque
[3] vastavit. || dum haec gererentur, || apud Iudaeam pontificatum
post Eleazarum suscepit Manasses avunculus eius. ||

XXVII *C. Luttatio Catulo, A. Postumio Allino consulibus anno*
belli Punici vicesimo et tertio a Catulo bellum contra Afros
commissum est. profectus est cum trecentis navibus in Siciliam,
Afri contra ipsum quadringentas paraverunt. numquam in mari
tantis copiis pugnatum est. Lutatius Catulus navem aeger
ascendit; vulneratus enim in pugna superiore fuerat. contra
Lilybaeum civitatem Siciliae pugnatum est ingenti virtute Ro-
manorum. nam LXXIII Carthaginiensium naves captae sunt, XXV
demersae, XXXII hostium captae, XIII occisa, infinitum auri ar-
genti praedae in potestatem Romanorum redactum. ex classe
Romana XII naves demersae. pugnatum est VI Idus Martias.
statim pacem Carthaginienses petiverunt, tributaque est his pax.
captivi Romanorum, qui tenebantur a Carthaginiensibus, red-
diti sunt. etiam Carthaginienses petiverunt, ut redimi eos
captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. senatus iussit
sine pretio eos dari, qui in publica custodia essent; qui autem a
privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem re-
dirent atque id pretium ex fisco magis quam a Carthaginiensi-
[4] *bus solveretur.* || Carthaginienses sane sub hac condicione cum
Romanis pacem fecerunt, ut eis per continuos viginti annos
[5] persolverent argenti puri tria milia talentorum. || his diebus
Iudaeorum pontifex Onias Simonis Iusti filius clarus habebatur. ||

---

[1] Or. 241. [2] Or. 242. [3] Hier. 1763. [4] Or. 243. [5] Hier. 1771.

---

6 uictus est — 7 nauibus *om. N*, nam — nauibus *om. Z*¹ || 11 italia *VZ* || cuiusque *H*, usque *V* || 19 superiori *HZ* || 22 XIII] quattuordecim *NZ* || 23 praedam *NZ* || 24 submersae *HVL* || 29 eos *om. NZ* || 35 habeatur *NZ*¹.

tunc etiam Q. Ennius poeta Tarenti nascitur, qui post Romae [1] docuit contentus unius ancillae ministerio. ||

Q. Lutatius, A. Manlius consules creati sunt, bellum Faliscis XXVIII *intulerunt, quae civitas Italiae opulenta quondam fuit, quod ambo consules intra sex dies, quam venerant, transigerunt* xv *milibus hostium caesis, ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.*

LIBER TERTIVS.

Finito igitur Punico bello, quod per xxii *annos tractum* I *est, Romani iam clarissima gloria noti legatos ad Ptolomaeum Aegypti regem miserunt auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus bellum ei intulerat. ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit. iam enim fuerat pugna transacta. eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hiero Romam venit ad ludos et ducenta modiorum tritici populo dono exhibuit.*

L. Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco consulibus, quibus Hiero II *Romam venerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum gestum est.* nam idem consules || primi trans Padum Romanas [2] duxere legiones. pugnatum est ibi cum Insubribus *et Liguribus,* quorum interfecta sunt xxiii milia, quinque milia capta sunt || *et de his triumphatum est.* || sequenti anno in Piceno [2] flumen sanguinem effluxit et apud Tuscos caelum ardere visum est et Arimini nocte multa luce fulgente tres simul lunae apparuere. || *Carthaginienses tamen bellum reparare temptabant Sardinienses, qui ex condicione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum inpellentes. venit tamen Romam legatio Carthaginiensium et pacem impetravit.*

T. Manlio Torquato, C. Atilio Vulgo consulibus de Sardis III *triumphatum est, et pacem omnibus locis facta Romani nullum*

---

[1] Hier. 1777. [2] Or. 250.

---

1 itarenti V^1H, taranti N^1, terenti N^2, tirenti *Z* || 2 deguit *PL* || 3 a.] albus *V*, aluus *H* || 4 ciuitates NZ^1 || quondam fuit *om.* *NZ* || 16 falco *NZ* || 19 luguribus *NZ* || 20 milia *post* quinque *om.* N^1Z || capti HVN^2Z || 22 sanguinem *om.* N^1, *ante* flumen *add.* N^2Z || 24 bellum *om.* *HV* || temptabant] aptabant *NZ* || 25 parare N^1Z^1 || 28 t.] tanto NZ^1.

bellum habuerunt, quod his post Romam conditam semel tantum Numa Pompilio regnante contigerat.

IIII *L. Postumius Albinus, Cn. Fulvius Centummalus consules bellum contra Illyrios gesserunt et multis civitatibus captis etiam reges in deditionem acceperunt. ac tum primum ex Illyriis triumphatum est.*

V *Aemilio consule ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt. sed pro Romanis tota Italia consensit, traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit,* DCC *milia hominum parata ad id bellum fuisse. sed res per consules tantum prospere gesta est.* XL *milia hostium interfecta sunt et triumphus* [1] *Aemilio decretus.* Gallorum quidem || animi feroces, corpora plus quam humana erant, sed experimento deprehensum est, quod virtus eorum sicut primo impetu maior quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum; Alpina corpora humenti caelo educata habent quiddam simile nivibus suis, cum mox calore pugnae statim in sudorem eunt et levi modo quasi sole laxantur. hi Brittomaro duce non prius posituros se baltea iuraverunt, quam Capitolium inscendissent. factumque est; nam victos eos Aemilius in Capitolio discinxit et quia dux eorum de Romano milite Marti suo torquem auream devotasset, de ipsius Ariobistonis reliquorumque Gallorum torquibus aureum trophaeum Iovi erexit. ||

VI *Aliquot deinde annis post contra Gallos intra Italiam pugnatum est, finitumque bellum M. Claudio Marcello Cn. Cor-* [2] *nelio Scipione consulibus.* || Marcellus deinde cum inprudens in manus Gallorum incidisset omniaque infesta vidisset neque, qua evadere posset, haberet, in medium hostium inrupit, quibus inopinata audacia perculsis regem quoque eorum *Vitrodomarum nomine* occidit atque ubi spes salutis vix fuerat, inde opima retulit spolia. || *postea cum collega ingentes copias*

---

[1] Iord. R. 230. [2] Front. 4, 5, 4.

---

3 cn.] gener *NZ* || centummalles *NZ* || 4 illyricos *HVL* || 9 homines *NZ* || 11 gesta sunt *NZ* || capta sunt et *post* hostium ins. *NZ* || 12 siquidem *NZ* || 17 sudore *NZ* || motu *L cum libris Iord.* || 18 hii *HVN* || 19 inscendissent *Eyssenhardt*, incendissent *PL*, ascendissent *Iord.* || 20 distinxit *NZ* || 21 tosque *NZ* || 26 *post* consulibus *pergit E:* tum Marcellus cum parua manu equitum dimicauit et regem Gallorum Uiridomarum nomine manu sua occidit || 27 nec *HL* || 28 qua *om.* N^1V^1L, quo *add.* V^2 || possit *NZL* || 29 uitrodamarum *V*, uitrodominarum *H* || 30 ubi spes] ibi pes *NZ* || 31 opina *NZ.*

Gallorum peremit, Mediolanum expugnavit, grandem praedam Romam pertulit. ac triumphans Marcellus spolia Gallis stipiti inposita humeris suis vexit.

VII *Minucio Rufo, P. Cornelio consulibus Histris bellum inlatum est, quia latrocinati navibus Romanorum fuerant, quae frumenta exhibebant,* ‖ ac multo Romanorum sanguine fuso ‖ [1] *perdomiti sunt.* ‖ hac tempestate Iudaeorum pontifex Simon [2] Oniae filius extitit. ‖ *eodem anno bellum Punicum secundum Romanis inlatum est per Hannibalem Carthaginiensium ducem, qui* ‖ iamdudum Hamilcari patri ad aras iuraverat, cum adhuc [3] novem esset annorum, se, ut primum posset, adversus Romanos pugnaturum. ‖ Hannibal ergo *Saguntum Hispaniae civitatem Romanis amicam obpugnare adgressus est, annum agens vicesimum aetatis, copiis congregatis centum quinquaginta milium. huic Romani per legatos denuntiaverunt, ut bello abstineret. his legatos admittere noluit. Romani etiam Carthaginem* A *miserunt, ut mandaretur Hannibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. dura responsa a Carthaginiensibus data sunt. Saguntini interea fame victi sunt captique ab Hannibale ultimis poenis adficiuntur.* ‖ quibus ante hoc portenderat [4] triste prodigium; nam cum paene enixa mulier esset, infans in uterum regressus civitatis excidium significavit. ‖ huius tantae cladis auctor Hannibal poscitur; tergiversantibus [5] Poenis dux legationis: quae, inquit, mora est? Fabius; in hoc ego sinu bellum pacemque porto, utrum eligitis? succlamantibus: bellum, igitur, inquit, accipite, et excusso in media curia togae gremio non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit. ‖

VIII *Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hispaniam profectus est, Ti. Sempronius in Siciliam. bellum Carthaginiensibus indictum est. Hannibal relicto in Hispania fratre Hasdrubale Pirinaeum transivit. Alpes adhuc tum ea parte invias sibi patefecit. traditur ad Italiam* LXXX *milia peditum,* X *milia equitum, septem et* XXX *elephantos adduxisse. interea multi Ligures et Galli Hannibali se coniunxerunt. Sempronius Gracchus cognito*

---

[1] Or. 251. [2] Hier. 1785. [3] Or. 252. [4] *cf.* Plin. 7, 3, 35. [5] Iord. R. 230.

---

2 stipiti] typici *NZ* ‖ 5 romanorumque *NZ* ‖ 7 perdomitique sunt omnes *E* ‖ 15 abstinerent *NZ* ‖ 20 hoc ante *VZL* ‖ 22 utero *HV* ‖ 28 ferentes (ferrentes *N*¹) fudit *NZ* ‖ 32 inuia *NZ*¹ ‖ 33 decem et septem milia equitum et xx elephantos *NZ*.

ad Italiam Hannibalis adventu ex Sicilia exercitum Ariminum traiecit.

VIIII [1] *P. Cornelius Scipio Hannibali* ‖ apud Ticinum ‖ *primus*
[1] *occurrit. commisso proelio fugatis suis* ‖ et paene omnibus extinctis *ipse* a filio Scipione liberatus ‖ saucius tamen *in castra*
[1] *rediit.* ‖ pugnatum deinde est eodem consule ad Trebiam fluvium iterumque Romani superati sunt. *Sempronius Gracchus et ipse confligit apud* eundem *amnem.* amissoque exercitu paene solus evasit; in eo tamen bello etiam Hannibal sauciatus est. ‖ tunc
[2] *se Hannibali multi Itali dedidere.* ‖ qui postea quam in Etruriam primo vere transiret, in summo Apennino tempestate correptus biduo continuo immobiliter stetit nivibus cum exercitu conclusus, ubi magnus hominum numerus, iumenta quam plu-
A rima, elephanti paene omnes frigore perierunt. diris tunc etiam Romani prodigiis territi sunt; nam et solis orbis inminui visus est et apud Arpos palmae in caelo visae, sol quoque cum luna pugnasse, apud Capenas duae lunae ortae sunt, in Sardinia sanguine duo scuta sudarunt, Faliscis caelum scindi visum est, apud Antium cruentae spicae in corbem cecidere. ‖ igitur *Hannibal ad Tusciam veniens Flaminio consuli occurrit. ipsum Flaminium interemit; Romanorum* XXV *milia caesa sunt, cetera diffugerunt. missus adversus Hannibalem postea a Romanis Q. Fabius Maximus. is eum differendo*
[3] *pugnam ab impetu fregit;* ‖ nam per summa montium iuga et abditos nemorum saltus castra ponens Hannibalis fervorem
[4] elusit ‖ *mox*que *inventa occasione vicit.* ‖ victus quoque Hannibal fertur de Fabio suis ita dixisse: num quid non dixi vobis, quod montana haec nubes maxima nos in campo vi tempestatis obrueret? ‖

X *Quingentesimo et quadragesimo anno a condita urbe L. Aemilius Paulus, P. Terentius Varro contra Hannibalem mittuntur Fabioque succedunt. qui Fabius ambos consules monuit, ut Hannibalem callidum et inpatientem ducem non aliter vin-*

---

[1] Or. 253. [2] Or. 254. [3] *cf.* Liv. 22, 14, 8. [4] *cf.* Liv. 22, 30, 10.

---

4 suis ipse uulneratus in castra rediit Sempronius Gr. et ipse confligit apud Trebiam amnem. is quoque uincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt. inde Hannibal ad Tusciam ueniens Flaminio *E* ‖ 12 nubibus *NZ* ‖ 13 quam] cum *HVL*, com *NZ* ‖ 20 flammineo *VN*, flamineo *Z* ‖ 21 flammineum *VN*, flamineum *Z* ‖ 24 fregit] recepit *NZ* ‖ 25 abditus *HVL* ‖ 30 anno *om.* *HV* ‖ 31 terrentius *NZ*.

cerent quam proelium differendo. verum cum inpatientia Varronis consulis contradicente altero consule id est Aemilio Paulo apud vicum qui Cannae appellatur in Apulia pugnatum esset, ambo consules ab Hannibale vincuntur. ‖ nam cum comperisset [1] Hannibal Aufidum amnem ingentes auras mane proflare, quae arenarum et pulveris vertices agerent, sic direxit aciem, ut tota vis a tergo suis, Romanis in ora et oculos incideret, ‖ eaque de causa Romanorum exercitum stravit. *in ea pugna tria milia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Hannibalis sauciatur. nullo tamen Punico bello Romani gravius accepti sunt. periit enim in eo consul Aemilius Paulus,* ‖ qui [2] dum sauciatus in quodam saxo resedisset, offerente ei Lentulo equum, quo fugeret, ut cladi superesset, noluit atque ibi persedit, donec ab hostibus peremptus est. ‖ perierunt autem ibi A *consulares aut praetorii* XX, *senatores capti aut occisi* XXX, *nobiles viri* CCC, *militum* XL, *equitum* III *milia et quingenti.* ‖ Varro consul cum quinquaginta equitibus Venusium fugit. nec [3] dubium est ultimum illum diem Romani status futurum fuisse, si Hannibal mox post victoriam ad pervadendam urbem contendisset. ‖ Varro Romam rediit gratiaeque ei a senatu et po- [4] pulo actae sunt, quod rem publicam non desperasset; non autem vitae cupiditate sed rei publicae amore se superfuisse reliquo aetatis suae tempore approbavit; nam barbam capillumque summisit et postea numquam recubans cibum cepit; honores quoque, cum ei deferrentur a populo, renuntiavit dicens felicioribus magistratibus rei publicae opus esse. ‖ in omnibus *his* tamen *malis nemo Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. servi, quod numquam ante, manumissi et milites facti sunt.*

Post eam pugnam multae Italiae civitates, quae Romanis XI *paruerunt, se ad Hannibalem transtulerunt. Hannibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumque est a senatu eos cives non necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. ille omnes postea variis suppliciis interfecit et tres modios anu-*

[1] Front. 2, 2, 7. [2] Front. 4, 5, 5. [3] Or. 256. [4] Front. 4, 5, 6.

1 proelio H^1V^1 ‖ impatientiam *NZ* ‖ 7 incederet V^1NZL ‖ 11 periit — 14 peremptus est *om. NZ* ‖ 13 equo HV^1 ‖ claudi V^1L^1 ‖ 14 perierant *NZ* ‖ autem *om. NZ* ‖ 17 uenesium *HV* ‖ 21 desperasset nona autem uice quod cupiditates et rei publicae *NZ* ‖ 25 honoribus *VNZ* ‖ deferentur *V*, deferrerentur *L*, referentur N^1, referentur N^2Z ‖ 27 his tamen malis nemo tamen *NZ* ‖ 30 multae in italia *NZ*.

lorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus equitum
[1] *Romanorum senatorum et militum detraxerat.* || deinde Sem-
pronio Graccho Q. Fabio Maximo consulibus Claudius Mar-
cellus ex praetore pro consule designatus Hannibalis exer-
citum proelio fudit primusque post tantas rei publicae ruinas
A spem fecit Hannibalem posse superari. || *interea in Hispania,*
ubi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat cum magno exer-
citu, ut eam totam Afris subigeret, a duobus Scipionibus Ro-
manis ducibus vincitur. perdit in pugna XXXV *milia hominum:*
ex his capiuntur X *milia, occiduntur* XXV *milia. mittuntur ei*
a Carthaginiensibus ad reparandas vires XII *milia peditum,* IIII
[2] *milia equitum,* XX *elephanti.* || Centenius Paenula centurio de-
cerni sibi ultro bellum adversus Hannibalem petiit, a quo cum
octo milibus militum, quos in acie eduxerat, caesus est. post
hunc Cn. Fulvius praetor ab Hannibale victus amisso exercitu
vix evasit. ||

XII [3] *Anno quarto postquam ad Italiam Hannibal venit,* || Cn.
Fulvium proconsulem undecim praeterea tribunos et XVII milia
[4] militum interfecit. || *Marcellus consul* || cum Hannibale *apud*
Nolam triduum continuum dimicavit; primo die pari pugna
discessum est, sequenti victus consul, tertio victor VIII milia
hostium interfecit, ipsum Hannibalem cum reliquis fugere in
castra compulit. || *Hannibal multas civitates Romanorum per*
Apuliam Calabriam Brittios occupavit. quo tempore etiam rex
Macedoniae Philippus ad eum legatos misit promittens auxilia
contra Romanos sub hac condicione, ut deletis Romanis ipse
quoque contra Graecos ab Hannibale auxilia acciperet. captis
igitur legatis Philippi et re cognita Romani in Macedoniam
M. Valerium Laevinum ire iusserunt, in Sardiniam T. Man-
lium Torquatum proconsulem. nam etiam ea sollicitata ab
XIIII *Hannibale Romanos deseruerat. ita uno tempore quattuor locis*
pugnabatur: in Italia contra Hannibalem, in Hispaniis contra
fratrem eius Hasdrubalem, in Macedonia contra Philippum, in
Sardinia contra Sardos et alterum Hasdrubalem Carthaginiensem.

---

[1] Or. 257. [2] Or. 258. [3] Or. 263. [4] Or. 264.

---

2 detraxerant *NZ* || simpronio *HVL* || 7 cum *om. NZ* || 9 in ea pugna *HVL* || 12 centenius *L*, centerius *N*, centurius *VHZ* || 15 fluuius *NZ* || 17 uenit M. Claudius Marcellus consul apud Nolam ciuitatem Campaniae contra Hannibalem bene pugnauit. Hannibal *E* || 21 discessus *NZ* || 25 promittens] mittens *NZ* || 30 pro consule *NZL* || eam *NZ*[1] || 33 macedoniam *NZL*[1].

is a T. Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, vivus est captus, occisa cum eo duodecim milia, capti mille quingenti, et a Romanis Sardinia subacta. Manlius victor captivos et Hasdrubalem Romam reportavit. interea etiam Philippus a Laevino in Macedoniam vincitur et in Hispania a Scipionibus Hasdrubal et Mago tertius frater Hannibalis.

XIIII *Decimo anno postquam Hannibal in Italiam venerat, Pulvio Sulpicio, Cn. Fulvio consulibus Hannibal* ‖ de Campania movit [1] exercitum et cum ingenti clade omnium per Sedecinum Suessanumque agrum via Latina ‖ *usque ad quartum miliarium urbis accessit, equites eius usque ad portam. mox consulum cum exercitu venientum metu Hannibal ad Campaniam se recepit. in Hispania a fratre Hasdrubalis ambo Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur, exercitus tamen integer mansit; casu enim magis erant quam virtute decepti. quo tempore etiam a consule Marcello Siciliae magna pars capta est, quam tenere Afri coeperant, et nobilissima urbs Syracusana, praeda ingens Romam perlata est. Laevinus in Macedonia cum Philippo et multis Graeciae populis et rege Asiae Attalo amicitiam fecit et ad Siciliam profectus est; Hannonem quendam Afrorum ducem apud Agrigentum civitatem cum ipso oppido cepit, eum Romam cum captivis nobilissimis misit.* XL *civitates in deditionem accepit,* XXVI *expugnavit. ita omnis Sicilia recepta est, Macedonia fracta. ingenti gloria Romam regressus est. Hannibal in Italia Cn. Fulvium consulem subito adgressus cum* VIIII *milibus hominum interfecit.*

XV *Interea ad Hispanias, ubi occisis duobus Scipionibus nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipia mittitur, filius P. Scipionis qui ibidem bellum gesserat, annos natus* XXIV, *vir Romanorum omnium et sua aetate et posteriore tempore fere primus.* ‖ iste etenim, dum senatores ob metum Hannibalis Italiam relinquere [2] deliberarent, cum tribunus militum esset, districto gladio id fieri vetuit primusque iurans, ut patriae defensor existeret, universos similiter iurare coegit Romanosque ad spem vitae quasi ab inferis reduxit. ‖ *is Carthaginem Hispaniae capit, in qua omne aurum argentum et belli apparatum Afri habebant,*

---

[1] Or. 260. [2] Or. 256.

---

4 interea] intantum ea *NZ*[1] ‖ 5 macedonia *NZ* ‖ 6 hasdrubal et] asdrubale *N*, asdrubalem *Z* ‖ 9 sedicinum *NZ* ‖ 12 uenientium *H*, uenitantium *V* ‖ 13 a *om.* *NZ*[1] ‖ 22 eum] eamque *NZ* ‖ 29 omnium Romanorum uir *HV* ‖ 33 priusque *NZ* ‖ 36 aurum *om.* *NZ*.

nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperant. Magonem etiam fratrem Hannibalis ibidem capit, quem Romam A *cum aliis mittit. Romae ingens laetitia post hunc nuntium* [1] *fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit.* || denique dum quaedam adulto flore virgo pulcherrima ab eo comprehensa fuisset, eam paterna pietate servavit concedens parentibus, ut eam redimerent; ad se etiam puellae sponsum nobilissimi generis virum venire persuadens ei ipsam quasi pius in matrimonium genitor tradidit dotisque nomine puellae pretium, quod a parentibus eius acceperat, condonavit; pro quibus factis maxime adnitente puellae sponso eiusque parentibus || *omnes fere Hispaniae ad eum transierunt. post quae Hasdrubalem Hannibalis fratrem victum fugat et praedam maximam capit.*

XVI *Interea in Italia consul P. Fabius Maximus Tarentum recepit, in qua ingentes copiae Hannibalis erant. et ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit,* XXV *milia hominum captivorum vendidit, praedam militibus dispertivit, pecuniam hominum venditorum ad fiscum retulit. tum multae civitates Romanorum, quae ad Hannibalem transierant, rursus se Fabio Maximo dediderunt. insequenti anno Scipio in Hispania egregias res egit et per se et per fratrem suum L. Scipionem; septuaginta civitates receperunt. in Italia tamen male* pugnarunt. *nam Claudius Marcus consul ab Hannibale occisus est.*

XVII *Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus fuerat, rursus res inclitas gerit. regem Hispaniarum magno proelio victum in amicitiam accepit et primus omnium a victo obsides non poposcit.*

XVIII *Desperans Hannibal Hispanias contra Scipionem diutius posse retineri fratrem suum Hasdrubalem ad Italiam cum omnibus copiis evocavit. is veniens a consulibus Ap. Claudio Nerone* [2] *et M. Livio Salinatore apud* || Metaurum fluvium || *in insidias* [3] *conpositas incidit. strenue tamen pugnans occisus est,* || LVIII milia de eius exercitu perempta, V milia capta sunt. CCCCIIII

[1] *cf.* Front. 2, 11, 5. [2] Iord. R. 232. [3] Or. 265.

1 nouissimos *NZ* || hispaniis *HV* || 4 hispaniorum *NZ* || 8 ei] et *HVZ* || pius] ipsius *V*, prius *L* || 9 nomini *HV*¹ || 11 aduentente *N*², adnuente *N*¹*Z* || 12 quare omnes *E* || uno animo *E ante* ad eum || 13 uinctum *NZ* || 15 Tarantum *HV* || 17 Cartholonem *NZ* || 20 ad *om. VN*¹ || 21 hispaniae *N*¹*Z* || 23 pugnatum est *E* || 30 ad Italiam *om. HV* || 31 ueniens eodem itinere quo etiam Hannibal uenerat a consulibus A. C. N. et M. L. S. apud Senam Piceni ciuitatem in *E* || 32 in *om. NZ* || 33 est ingentes eius copiae captae aut interfectae sunt. magnum *E*.

milia civium Romanorum inter eos reperta et revocata sunt. || *magnum pondus auri atque argenti Romam relatum est.* || Han- [1] nibali caput fratris sui Hasdrubalis ante castra proiectum est, quo viso et simul clade Poenorum cognita anno tertio decimo, quam in Italiam venerat, refugit in Brittiam. || *post haec Hannibal diffidere iam de belli coepit eventu. Romanis ingens animus accessit; itaque et ipsi evocaverunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. is Romam cum ingenti gloria venit.* || per [2] idem tempus Hierosolymis pontifex maximus Onias filius Simonis fuit. ||

XVIIII *Q. Caecilio, L. Valerio consulibus omnes civitates, quae in Brittiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt.*

XX *Anno quarto decimo postea quam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa bene in Hispania egerat, consul est factus et in Africam missus. cui viro divinum quiddam inesse existimabatur adeo, ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. is in Africa contra Hannonem ducem Afrorum pugnat, exercitum eius interficit. secundo proelio castra capit cum quattuor et quingentis militibus, XI milibus occisis. Syphacem Numidiae regem, qui se Afris coniunxerat, capit et castra eius invadit. Syphax cum nobilissimis Numidis et infinitis spoliis Romam a Scipione mittitur. qua re audita omnis fere Italia Hannibalem deserit. ipse a Carthaginiensibus redire in Africam iubetur, quam Scipio vastabat.*

XXI *Ita anno septimo decimo ab Hannibale Italia liberata est,* quam flens dicitur reliquisse. || [3] *legati Carthaginiensium pacem a Scipione petiverunt. ab eo ad senatum Romam missi sunt. XLV diebus his indutiae datae sunt, quousque ire Romam et regredi possent. et triginta milia pondo argenti ab his accepta sunt. senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthaginiensibus fieri. Scipio his condicionibus dedit, ne amplius quam triginta naves haberent, ut quingenta milia pondo argenti darent, captivos et perfugas redderent.*

XXII *Interim Hannibale veniente ad Africam pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt. legati tamen eorum ex urbe venientes a Romanis capti sunt et iubente Scipione dimissi. Hannibal quoque frequentibus proeliis victus a Scipione petere etiam ipse coepit pacem. cum ventum esset ad colloquium, isdem condicionibus*

[1] Or. 266. [2] Hier. 1809. [3] Or. 267.

2 hannibal *HV*¹ || 7 uocauerunt *NZ* || 11 Lucio *om. VL* || 13 Italia *HV* || 17 is in — hannonem *om. NZ* || 18 interfecit *HV* || 24 uastauit *NZ* || 25 italia ab hannibale *HVL* || 32 quinquaginta *HV*.

data est quibus prius, additis quingentis milibus ponderibus argenti centum milia librarum propter novam perfidiam. Carthaginiensibus condiciones displicuerunt iusseruntque Hannibalem pugnare. infertur a Scipione et Masinissa alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit, quos captos Scipio circumduci per castra iussit ostendique his totum exercitum, mox etiam prandium dari dimittique, ut renuntiarent Hannibali, quae apud Romanos vidissent.

XXIIII *Interea proelium ab utroque duce instructum est, quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit paene ipso Hannibale capto, qui primum cum multis equitibus, deinde cum viginti, postremo cum quattuor evasit. inventa in castris Hannibalis argenti pondo viginti milia, auri octingenta, cetera supellectiles copiosa. post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit atque Africanus ex eo appellari coeptus est. finem accepit secundum Punicum bellum post annum nonum decimum, quam coeperat.*

LIBER QVARTVS.

I *Transacto Punico bello secutum est Macedonicum contra Philippum regem quingentesimo quinquagesimo et primo anno*
II *ab urbe condita; T. Quintius Flaminius adversum Philippum rem prospere gessit, et pax ei data est his legibus: ne Graeciae civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret, ut captivos et transfugas redderet, quinquaginta solas naves haberet, reliquas Romanis dederet, per annos decem quaterna milia pondo argenti praestaret et obsidem daret filium suum Demetrium. T. Quintius etiam Lacedaemoniis intulit bellum. ducem eorum Abidem vicit et quibus voluit condicionibus in fidem accepit. ingenti gloria triumphavit, duxit ante currum nobilissimos obsides Demetrium Philippi filium et Armenem Nabidis.*· ||

---

4 rego alio *HV* || 8 dare remittique *NZ* || 13 multas N^1Z^1 || equitibus] sequentibus *NZ* || 15 superlectiles *VL* || 18 appellari] uocari *HV* || 22 quinquagesimo quingentesimo *HV* || 24 et rem *HN* || 28 pondere N^1, pondera N^2Z || filium suum daret *HVL* || 31 currum suum *NZ*.

Romani captivi, qui sub Hannibale per Graeciam venditi A [1] fuerant, universi capitibus rasis ob detersam servitutem currum triumphantis secuti sunt. eodem tempore Insubres Boii, ‖ a quibus Ticinum civitas condita est, ‖ atque Cenomani con- [2] [1] tractis in unum viribus Hamilcare Poenorum duce, qui in Italia remanserat, Cremonam Placentiamque vastantes difficillimo bello a L. Fulvio praetore superati sunt. ‖ consul Marcellus [3] in Etruria a Boiis oppressus magnam partem exercitus perdidit; cui postea Furius alter consul auxilio accessit atque ita universam Boiorum gentem igni ferroque vastantes propemodum usque ad nihilum deleverunt. ‖

Transacto bello Macedonico secutum est Syriacum contra III *Antiochum regem P. Cornelio Scipione, Acilio Glabrione consulibus. huic Antiocho Hannibal se iunxerat Carthaginem patriam suam metu, ne Romanis traderetur, relinquens. Acilius Glabrio in Achaia bene pugnavit. castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt, ipse fugatus. Philippo, quia contra Antiochum Romanis fuisset auxilio, filius Demetrius redditus est.* ‖ P. Sci- [3] pione Africano iterum T. Sempronio Longo consulibus apud Mediolanium decem milia Gallorum caesa, sequenti autem proelio undecim milia Gallorum, Romanorum vero quinque milia occisa sunt. ‖ Minucius a Liguribus in extremum periculi [4] adductus et insidiis hostium circumventus vix Numidarum equitum industria liberatus est. ‖

L. Cornelio Scipione et C. Laelio consulibus Scipio Afri- IIII *canus fratri suo L. Cornelio Scipioni consuli legatus contra Antiochum profectus est. Hannibal, qui cum Antiocho erat, navali proelio victus est. ipse postea Antiochus circa Sipulum Magnesiam Asiae civitatem a consule Cornelio Scipione ingenti proelio fusus est. auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. quinquaginta milia peditum, tria equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. tum rex pacem petit. hisdem condicionibus data est a senatu quamquam victo, quibus ante offerebatur: ut ex Europa et Asia recederet atque intra Taurum se contineret, decem milia talentorum et viginti obsides praeberet, Hannibalem*

[1] Or. 270. [2] *cf.* Plin. 3, 7, 124. [3] Or. 271. [4] Or. 272.

3 et boii *L* ‖ 4 cenomanni *L*, cenomannis *NZ* ‖ 18 romanis dedisset auxilium *NZ* ‖ 19 et africano *NZ* ‖ 23 circumuenientes *V*, circumuentes *H* ‖ 28 circa] contra *HV* ‖ 30 auxilium *NZ* ‖ 31 attili *HV* ‖ frigiam *NZ* ‖ 32 tria milia *VL* ‖ in eo *HVL* ‖ 33 petiit *NL*.

concitatorem belli dederet. Eumeni regi donatae sunt a senatu omnes Asiae civitates, quas Antiochus bello perdiderat, et Rhodiis, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multae urbes concesserunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit. nomen et ipse ad imitationem fratris Asiagenis accepit, quia Asiam vicerat, sicuti frater ipsius propter Africam
[1] *domitam Africanus appellabatur.* || L. Baebius in Hispaniam proficiscens a Liguribus circumventus cum universo exercitu occisus est. unde adeo ne nuntium quidem superfuisse constat, ut internicionem ipsam Romae Massilienses nuntiare curaverint. Marcius consul adversus Ligures profectus superatusque quattuor milia militum amisit. ||

V *Sp. Postumio Albino, Marco Philippo consulibus M. Fulvius de Aetolis triumphavit. Hannibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam Bithyniae regem fugerat, repetitus etiam ab eo est per T. Quintium Flaminium. et cum tradendus Romanis esset, venenum bibit et apud Libyssam in finibus*
[2] *Nicomedensium sepultus est.* || eodem anno Scipio Africanus ab ingrata sibi urbe diu exulans apud Amiternum morbo periit. tunc Vulcani insula, quae ante non fuerat, repente mari est
[3] edita. || his quoque diebus actum est, quod de Heliodoro Machabaeorum narrat historia. ||

VI *Philippo rege Macedoniae mortuo, qui et adversum Romanos bellum gesserat et postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius eius Perseus in Macedonia rebellavit ingentibus copiis ad bellum paratis. nam adiutores habebat Cotum Thraciae regem et regem Illyrici Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes Asiae rex, Ariaratus Cappadociae, Antiochus Syriae, Ptolomaeus Aegypti, Masinissa Numidiae. Prusias autem Bithyniae, quamquam sororem Persei uxorem haberet, utrisque se aequum praebuit. dux Romanorum P. Licinius consul contra eum missus est et a rege gravi proelio victus. neque tamen Romani quamquam superati regi petenti pacem praestare voluerunt nisi his condicionibus: ut se et suos senatui et populo Romano dederet. mox missus contra eum L. Aemilius Paulus consul et in Illyricum Gaionicius praetor*

---

[1] Or. 273. [2] Or. 274. [3] Hier. 1829.

---

5 asianus asiagenis N^2Z || 6 qui *NZ* || 7 spaniam *HN* || 10 enuntiare *NZ* || 18 nicomedentium *HV*, nicomediensium N^2ZL || 20 uulgani *HV* || mari *L*, maris *P* || 23 aduersus *HV* || 27 trachiae *HV* || 28 erat *HV* || ariatus *NZ* || 30 sororem *om. HV*, *post* Persei *L* || 32 lucinius *NZ* || 36 in *om. VL*.

contra Gentium. sed Gentius facile uno proelio victus mox se dedidit. mater eius et uxor et duo filii frater quoque simul in potestate Romanorum venerunt. bello intra XXX *dies perfecto ante cognitum est Gentium victum, quam coeptum bellum nuntiaretur.*

VII *Cum Perseo autem Aemilius Paulus consul* III *Nonas Sept. dimicavit vicitque eum viginti milibus peditum eius occisis. equitatus cum rege interfugit. Romanorum centum milites amiserat. Romanis se dederunt. ipse rex cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. sed honorem ei Aemilius Paulus consul non quasi victo habuit; nam et volentem ad pedes sibi cadere non permisit et iuxta se in sella conlocavit. Macedoniis et Illyriis hae leges a Romanis datae: ut liberi essent et dimidium eorum tributorum praestarent, quae regibus praestitissent, ut appareret populum Romanum pro aequitate magis quam avaritia dimicare. itaque in conventu infinitorum populorum Paulus hoc pronuntiavit et legationes multarum gentium, qui ad eum venerant, magnificentissimo convivio pavit dicens eiusdem homines esse debere et bello vincere et in convivii apparatu elegantes esse.* VIII *mox septuaginta civitates Epiri, quae rebellabant, cepit, praedam militibus distribuit. Romam ingenti pompa rediit in nave Persei, quae inusitatae magnitudinis fuisse traditur, adeo ut sedecim ordines dicatur habuisse remorum. triumphavit autem magnificentissime in curru aureo cum duobus filiis utroque latere adstantibus. ducti sunt ante currum duo regis filii et ipse Perseus* XLV *annos natus. post eum etiam Anicus de Illyriis triumphavit. Gentius cum fratre et filiis ante currum ductus est. ad hoc spectaculum reges multarum gentium Romam venerunt, inter alios etiam Attalus atque Eumenes Asiae reges et Prusias Bithyniae. magno honore excepti sunt et permittente senatu dona, quae attulerunt, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem senatui commendavit.* ¦| anno ab urbe condita sexcentesimo L. Licinio Lucullo [1] Postumio Altino consulibus cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus invasisset et ex omnibus non esset, qui ire in Hispaniam vel miles vel legatus auderet, P. Scipio,

[1] Or. 276.

2 dedit *NZ* ‖ 3 intra] in *NZ* ‖ 13 Illyricis *VNZ* ‖ 15 apparerent *HN¹L* ‖ 18 quae *L* ‖ magnificentissime *VNZ* ‖ pauit] patauit *N¹*, parauit *N²*, patrauit *Z* ‖ 19 conuiuia *V¹N* ‖ 21 cum ingenti *N²Z* ‖ 33 sexcenti *NZ* ‖ lucio *om. N²Z* ‖ 34 albino *N²Z* ‖ 36 iret *Z* (*om.* qui) *N²* ‖ hispania *HL*, ispania *V*.

qui post Africanus erit, ultro se militaturum in Hispaniam obtulit, cum tamen in Macedoniam sorte iam deputatus esset. itaque profectus in Hispaniam magnas strages gentium dedit saepius etiam militis quam ducis usus officio; nam et barbarum provocantem singulariter congressus occidit. Sergius autem Galba praetor a Lusitanis magno proelio victus est universoque exercitu amisso ipse cum paucis vix elapsus evasit. ‖

VIIII *Insequenti anno L. Mummius in Lusitania bene pugnavit. Marcellus postea consul res ibidem prospere gessit.*

X *Tertium deinde bellum contra Carthaginem suscipitur sexcentesimo et altero anno ab urbe condita, L. Manlio Censurino et M. Mallio consulibus, anno LI postquam secundum Punicum* [1] *transactum est. hii profecti Carthaginem.* ‖ Carthaginiensibus evocatis iussisque, ut arma et naves traderent, tanta vis armorum repente tradita est, ut facile ex ea tota Africa potuisset armari. qui postquam arma Romanis tradiderunt, relicta urbe recedere procul a mari decem milia passuum iussi sunt. Carthaginienses dolorem ad desperationem contulerunt aut defensuri civitatem aut cum ipsa per ipsam sepeliendi moxque sibi duos Hasdrubales duces creaverunt armaque facere aggressi, postquam aes ferrumque defecit, aurea argenteaque fecere. consules cum aliquantam muri partem machinis diruissent, a Carthaginiensibus victi sunt atque repulsi, quos fugientes Scipio tunc tribunus militum repulso intra muros hoste defendit. ‖ *Famea dux alius equitatui Carthaginiensium praeerat.* igitur *Scipio tunc Scipionis Africani nepos tribunus,* ut dictum est, militum *ibi militabat. huius apud omnes ingens metus et reverentia erat; nam et paratissimus ad dimicandum et consultissimus habebatur. itaque per eum multa a consulibus gesta sunt, neque quicquam magis vel Hasdrubal vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, ubi Scipio dimicarat.*

XI *Per idem tempus Masinissa rex Numidarum per annos*

---

[1] Or. 279.

---

1 erat *N*¹*Z* ‖ militarum *N*¹*Z* ‖ spaniam *N*, ispaniam *Z*, hispania *V* ‖ 12 quinquaginta unum *NZ* ‖ 13 Carthaginem oppugnauerunt contra eos Hasdrubal dux Carthaginiensium dimicabat. Famea *E* ‖ 14 iussique *HV*, iussitque *NZ* ‖ 15 ex tota *N*¹, ex his tota *N*²*Z*, tota ex his *L* ‖ 18 disperationem (dispir. *N*) *NZ* ‖ 19 per ipsam *om. NZ* ‖ 22 facere *HV*, facere coeperunt *N* ‖ 27 datum *NZ* ‖ 29 a *om. NZ* ‖ 30 hasdrubal ultima fame habitabant quam *NZ* ‖ 32 dimicare *NZ*.

sexaginta fere amicus populi Romani anno vitae nonagesimo septimo mortuus XLIIII *filiis relictis Scipionem divisorem inter filios suos esse iussit.*

Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuvenis adhuc XII
consul est factus et contra Carthaginem est missus. ‖ contra quam [1]
dum sex continuis diebus noctibusque pugnasset, ultima Carthaginienses desperatio ad deditionem traxit petentes, ut, quos belli clades reliquos fecisset, saltem servire liceret; ac primum agmen mulierum satis miserabile, post virorum descendit; nam fuisse mulierum viginti quinque milia, virorum triginta milia traditum est. rex Hasdrubal se ultro dedidit, transfugae qui Aesculapii templum occupaverant, voluntario praecipitio dati igne consumpti sunt. uxor Hasdrubalis se suosque filios secum femineo furore in medium iecit incendium. ipsa autem civitas XVI diebus continuis arsit miserumque spectaculum suis victoribus praebuit; multitudo omnis captivorum exceptis paucis principibus venumdata est. diruta est autem Carthago omni
murali lapide in pulverem comminuto. ‖ cuius fuisse situs A [2]
huiusmodi dicitur: XXII milia passuum muro amplexa tota paene mari cingebatur absque faucibus, quae tribus milibus passuum aperiebantur; is locus murum triginta pedes latum habuit saxo quadrato in altitudine cubitorum quadraginta, a saxo cui Byrsae nomen erat, paulo amplius quam duo milia passuum tenebat; ex una parte murus communis urbis et Byrsae imminens mari, quod mare stagnum dicitur, quoniam obiectu protentae linguae tranquillatur. ‖ *spolia ibi inventa, quae variarum civitatum excidiis Carthago colligerat, et ornamenta urbium civitatibus Siciliae Italiae Africae reddidit quae sua recognoscebant. ita Carthago septingentesimo anno postquam*
condita erat deleta est. ‖ ita quarto anno, quam coeptum [3]
fuit, bellum tertium terminatum est. ‖ *Scipio nomen, quod avus eius acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus iunior vocaretur.*

Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma movit XIII

---

[1] Or. 281. [2] Or. 279. [3] Or. 282.

---

5 missus is eam cepit ac diruit spolia *E* ‖ 6 noctibus *N*[1]*Z* ‖ 8 saltim *HL* ‖ 9 mirabile *NZ* ‖ 11 dedit *NZL* ‖ 12 aescolapii *NZL* ‖ 19 complexa *NZ* ‖ 23 a saxo *P*, arx *L* ‖ 24 est *ante* urbis *ins.* *N*[2]*Z* ‖ 26 stronguilatur *H*, stranguilatur *V*, strangulatur *N*[1] ‖ 30 delata *NZ*[1] ‖ anno *om.* *HN*[1].

et Romanum praetorem P. Iuventium contra se missum ad internicionem vicit. post eum Q. Caecilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est et XXV *milibus occisis Macedoniam recepit, ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.*

XIIII *Corinthiis quoque bellum indictum est, nobilissimae Graeciae civitati, propter iniuriam legatorum Romanorum. hanc Mummius consul cepit et diruit. tres igitur Romae simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani ex Africa, ante cuius currum ductus est Hasdrubal, Metelli ex Macedonia cuius currum praecessit Andariscus idem qui et Pseudophilippus, Mummii ex Corintho ante quem signa aenea et pictae tabulae et alia urbis clarissimae ornamenta praelata sunt.*

XV *Iterum in Macedonia Pseudoperses, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servitiis rebellavit, et cum iam* XVI *milia* [1] *armatorum haberet, a Tremellio quaestore superatus est.* ‖ his diebus androgynus Romae visus iussu haruspicum in mare mersus est. ‖

XVI *Eodem tempore Metellus in Celtiberiam apud Hispanos res egregias gessit. successit ei Q. Pompeius. nec multo post Q. quoque Caepio ad idem bellum missus est, quod quidam Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. quo metu Viriatus a suis interfectus est, cum* XIIII *annos Hispanias adversus Romanos movisset. pastor primo fuit, mox latro non dux, postremo tantos ad bellum populos concitavit, ut adsertor contra* [2] *Romanos Hispaniae putaretur.* huic namque primus ‖ Sex. Vecilius praetor occurrit, qui toto exercitu caeso vix fuga lapsus evasit, deinde C. Plautium praetorem idem Viriatus multis proeliis fractum fugavit, post haec Claudium Unimammium cum omni exercitu superavit. ‖ denique *cum interfectores eius praemium a Caepione consule peterent, responsum est numquam Romanis placuisse imperatores a suis militibus* [3] *interfici.* ‖ eo tempore Romae puer ex ancilla natus est quadrupes quadrimanus oculis quattuor auribus totidem naturam virilem duplicem habens. in Bononiensi agro fruges in arboribus natae sunt. ‖

---

[1] Or. 293. [2] Or. 292. [3] Or. 299.

---

1 inuentium *NZ* ‖ 11 mummi ex corinthio *NZ* ‖ 12 quam *V*¹*NZ* ‖ 13 clarissima *HV* ‖ 23 anno *HV* ‖ aduersum *NZ* ‖ 26 putaretur et cum *E* ‖ primus *om.* *NZ*¹ ‖ 31 scepione *N*¹, scipione *N*²*Z* ‖ 33 quadripes *N*²*Z*.

XVII *Q. Pompeius deinde consul a Numantinis, quae Hispaniae civitas fuit opulentissima, superatus pacem ignobilem fecit. post eum C. Hostilius Mancinus consul iterum cum Numantinis pacem fecit infamem, quam populus et senatus iussit infringi atque ipsum Mancinum hostibus tradi, ut in illo quasi auctorem foederis vindicarent.* || cumque per continuos annos quattuor- [1] decim cum solis quattuor milibus quadraginta milia Romanorum protrivissent, || *post tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis bis Romani exercitus fuerant subiugati, P. Scipio Africanus secundo consul factus est et ad Numantiam missus est. is primum militem vitiosum et ignavum exercendo magis quam puniendo sine aliqua acerbitate correxit,* || mox pugna [1] A cum Numantinis commissa exercitus Romanus oppressus impetu Numántinorum terga convertit; sed increpatione et minis obiectantis sese consulis tandem indignatus in hostem rediit et quem fugiebat, fugere compulit; unde quamvis Scipio laetatus sit, tamen ultra bello adversus eos audendum non esse professus est. itaque urbem obsidione conclusit, vallo circumdedit; cumque diu conclusi fame laborarent pugnaeque facultatem exposcerent, ut mori eis quasi viris liceret, novissime larga prius potione calefacti, quae madefactis frugibus confici solet, subito super Romanos inrupere. atrox diu certamen ad periculum usque Romanorum fuit iterumque Romani pugnare se adversum Numantinos fugiendo probassent, nisi sub Scipione pugnassent. Numantini interfectis suis fortissimis bello cedunt, compositis tamen ordinibus nec sicut fugientes in urbem revertuntur. corpora interfectorum ad sepulturam oblata accipere noluerunt clausaque urbe cuncti pariter ferro veneno atque igne consumpti sunt. Romani ex his nihil aliud quam B securitatem adepti sunt seque magis evasisse Numantinos quam vicisse dixerunt. unum Numantinum victoris catena non tenuit, quicquid supellectilis fuit, ignis consumpsit. tunc Scipio Tyresum quendam Celticum principem consuluit, qua de causa Numantia aut prius invicta aut post eversa fuisset; Tyresus

[1] Or. 301.

5 ut] et *NZ* || 7 cum solis] consulibus *H,* consules *V* || 8 quam *HL* || 12 correxit tum multas *E* || 13 amantinis V^1N^1, amantisiis *H* || 16 fugebat *VNZ* || 17 aduersum *NZL* || 19 pugnae *NZ* || 23 usque ad periculum *N*, et usque ad p. *LZ* || 29 compti *NZ* || 32 assumpsit *VL*, adsumpsit *NZ* || 33 tyressum *N,* tyrersum *Z.*

respondit: concordia victoriam, discordia excidium praebuit. ‖
[1] [2] hac tempestate apud Iudaeos occiso Iuda Machabaeo ‖ frater
[3] eius Ionathas pontifex habetur. ‖ tunc etiam claruit apud Brundisium Pacuvius tragoediarum scriptor. ‖ igitur Scipio *multas Hispaniae civitates partim cepit, partim in deditionem accepit, Numantiam a solo evertit, reliquam provinciam in fidem accepit.*
XVIII *Eodem tempore Attalus rex Asiae frater Eumenis mortuus est heredemque populum Romanum reliquit. ita imperio Romano per testamentum Asia accessit.*
XVIIII *Mox etiam D. Iunius Brutus de Callaecis et Lusitanis magna gloria triumphavit. et post Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit* XIIII *anno, postquam priorem de Africa*
[4] *egerat.* ‖ interea in Sicilia bellum est servile exortum ac per Fulvium et Rutilium amplius quam viginti milia tunc servorum trucidata sunt; Minturnis quadringenti quinquaginta servi in cruce suspensi sunt, apud Sinuessam vero quattuor milia servorum a Q. Metello et Cn. Servilio oppressa narrantur. ‖
XX *Motum interim in Asia bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina exceptus fuerat. is Eumenis frater Attali fuerat. adversus eum missus post Licinius Crassus* habens *infinita regum auxilia; nam et Bithyniae rex Nicomedes Romanos iuvit et Mithridates Ponticus, cum quo bellum postea gravissimum fuit, et Ariarathes Cappadox et Polemenes Paphlagon. victus*
[5] *est tamen Crassus et* ‖ ab hostibus captus est; qui magis mori eligens quam a barbaro abduci virgam, qua equum agebat, in oculum se tenentis iniecit moxque ab eo confossus est. ‖ *caput eius Aristonico oblatum, corpus Smyrnae sepultum est. postea Perpenna consul Romanus, qui successor Crasso veniebat, audita belli fortuna ad Asiam celeravit et acie victum Aristonicum apud Stratonicensium civitatem, quo confugerat, fame*
A *ad deditionem conpulit. Aristonicus iussu senatus Romae in carcere strangulatus est. triumphari enim de eo non poterat, quia Perpenna apud Pergamum Romam rediens diem obierat.* ‖
[6] his diebus tanta per totam Africam lucustarum multitudo convaluit, ut simul fruges herbas arborum folia corticesque cor-

[1] Hier. 1860. [2] Hier. 1862. [3] Hier. 1863. [4] Or. 306. [5] Or. 309. [6] Or. 311.

1 victoria HV^1N^2 ‖ exitium *NZ* ‖ 5 accepit postremo ipsam Numantiam diu obsessam fame confecit et a solo *E* ‖ 7 adtelus *NZ* ‖ 12 annos *NZ* ‖ 14 rutilum *NZ* ‖ 16 senbessam N^1, senuessam N^2, senuensam *Z* ‖ 19 eumenes *NZ* ‖ 20 lucinius *NZ* ‖ 22 mitradates *NZ* ‖ 24 Crassus et in proelio interfectus caput ipsius *E* ‖ 34 locustarum N^2Z.

roderent; quae repentino vento sublevatae in Africano sunt pelago demersae. sed cum earum acervos fluctus per extenta litora pertulissent, pestiferum odorem putrefacta congeries exhalavit. unde omnium animantium avium pecudumque ac bestiarum pestis existens vitium corruptionis ampliavit; qua pestilentia in Numidia octingenta milia hominum, circa Carthaginem vero plus quam ducenta milia perierunt, Romanorum vero militum, quae ibi ad praesidium erant, triginta milia extincta sunt. ||

XXI *L. Caecilio Metello et T. Quintio Flaminio consulibus Carthago in Africa iussu senatus reparata est quae nunc manet, annis duobus et viginti* evolutis, *postquam a Scipione fuerat eversa. deducti sunt cives Romani.*

XXII *Anno sexcentesimo vicesimo septimo ab urbe condita C. Cassius Longinus et Sex. Domitius Calvinus consules Gallis transalpinis bellum intulerunt et Arvennorum tunc nobilissimae civitati atque eorum duci Bituito infinitamque multitudinem iuxta Rodanum fluvium interfecerunt.* || [1] denique cum Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret et ipse centum milia armatorum haberet, conserta pugna a Romanis superatus est; ex cuius exercitu partim in bello partim submersi cum ponte, quem sibi iunctis navibus supra Rodanum extruxerant, centum quinquaginta milia perierunt. || *praeda ex torquibus Gallorum ingens Romam perlata est. Bituitus se Domitio dedit atque ab eo Romam deductus est, magnaque gloria consules ambo triumphaverunt.* XXIII

Marcio Porcio Catone et Q. Marca Rege consulibus sexcentesimo tricesimo et tertio anno ab urbe condita Narbone in Gallia colonia deducta est.

Annoque post a Licinio Metello et Q. Mucio Scaevola consulibus de Dalmatia triumphatum est. XXIIII

Ab urbe condita anno sexcentesimo tricesimo quinto C. Cato consul Cordicis intulit bellum ignominioseque pugnavit. XXV

C. Caecilio Metello Cn. Carbone consulibus duo Metelli fratres eodem die alterum ex Tracia alterum ex Sardinia triumphum egerunt, nuntiatumque Romae est Cimbros e Gallia in Italia transisse.

---

[1] Or. 319.

---

2 dimersae *NZ* || 7 ducenti *NZ* || 15 transalpinus *HV* || 17 duci] regi *VZ* || uituito *HV* || 28 quintio *VZ* || 34 ignominiose *HV*.

XXVI *Post Scipionem Nasica et Calpurnio Bestia consulibus Iugurthae Numidarum regi bellum inlatum est, quod Adherbalem et Hiemsalem Micipsae filios fratres suos reges et populi Romani amicos interemisset. missus adversus eum consul Calpurnius Bestia. corruptus regis pecunia pacem cum eo flagitiosissimam fecit, et a senatu improbata est. postea contra eundem insequenti anno Sp. Postumius Albinus profectus est. is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit.*

XXVII *Tertio missus Q. Caecilius Metellus consul. is exercitum ingenti severitate et moderatione correctum, cum nihil in quemquam cruentum faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham variis proeliis vicit, elephantos eius occidit vel cepit, multas civitates ipsius cepit. et cum iam finem bello positurus esset, successum est ei a C. Mario. is Iugurtham et Bocchum Mauritaniae regem, qui auxilium Iugurthae ferre coeperat, pariter superavit. aliquanta et ipse oppida Numidiae cepit belloque terminum posuit capto Iugurtha per quaestorem suum Cornelium Sullam ingentem virum tradente Boccho Iugurtham, qui pro eo*
A *ante pugnaverat. a M. Iunio Silano collega Q. Metelli Cimbri in Gallia victi sunt et a Minucio Rufo in Macedonia Cordisci et Tribelli et a Servilio Caepione in Hispania Lusitani victi sunt et duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium* acti sunt. *ante currum tamen Marii Iugurtha cum duobus filiis ductus est catenatus et mox iussu*
[1] *consulis in carcere strangulatus est.* ‖ his apud Hierosolymam diebus Iohannes dux Iudaeorum et pontifex extitit, qui ab eo, quod
[2] Hyrcanos bello vicerat, Hyrcani nomen accepit. ‖ per id etiam tempus Cicero Arpini nascitur matre Helvia nomine, patre
[3] equestris ordinis ex regio Vulscorum genere. ‖ eodem tempore quaedam virgo de Roma in Apuliam pergens ictu fulminis exanimata est omnibus sine scissura aliqua vestimentis ademptis ac pectoris pedumque vinculis, monilibus etiam anulisque discussis inlaeso corpore nuda iacuit; equus quoque eius pari modo frenis et cingulis peremptus iacuit dissolutis. ‖

---

[1] Hier. 1893. [2] Hier. 1912. [3] Or. 325.

---

1 nasia *HV* ‖ calpulinio *NZ*¹ ‖ 7 sp.] purius *NZ*¹ ‖ his *NZ*¹ ‖ 13 finem *om.* *NZ* ‖ 20 rufo minutio *N*¹*Z* ‖ 21 cipione *H*, scipione *N*¹*Z* ‖ 28 apini *N*¹, arpinis *N*², aspinii *Z*¹, arpinii *Z*² ‖ 29 eodemque *VL* ‖ 30 apulia *NZ* ‖ 32 pectore *NZ*, pectoribus *L* ‖ dissolutis *post* uinculis *add.* *V*²*NZL*.

LIBER QVINTVS.

I *Dum bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani consules M. Manlius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonis et Tigurinis et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum et ingenti internicione etiam castra sua et magnam partem exercitus perdiderunt. timor Romae grandis fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam venirent. ergo Marius post victoriam Iugurthinam secundo consul est factus, bellumque ei contra Cimbros et Teutonas decretum est. tertio quoque ei et quarto delatus est consulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur. sed in quarto consulatu collegam habuit Q. Lutatium Catulum. cum Cimbris itaque conflixit et duobus proeliis* CC *milia hostium cecidit,* LXXX *milia cepit et ducem eorum Teutomodum, propter quod meritum absens consul est factus.*

II *Interea Cimbri et Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam transierunt. iterum a C. Mario et Q. Catulo contra eos dimicatum est, sed a Catuli parte felicius. nam proelio, quod simul ambo gesserunt,* CXL *milia aut in pugna aut in fuga caesa sunt,* LX *milia capta. Romani milites ex utroque exercitu trecenti perierunt. tria et triginta Cimbris signa sublata sunt, ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli exercitus* XXXI. || sed ab eorum mulieribus graviorem [1] paene quam ab ipsis pugnam Romani experti sunt; hae etenim plaustris in modum castrorum dispositis ipsae desuper propugnantes diu obstitere Romanis. sed cum ab eis novo caedis genere terrerentur, abscisis enim cum crine cervicibus inhonesto satis vulnere turpes relinquebantur, ferrum, quod in hostes sumpserant, in se suosque verterunt. nam aliae con-

[1] Or. 330.

4 tugurinis *H*, tuguriis *V* || 8 punici ne iterum belli *NZ* || 10 teutones *HVL* || 15 absens *om. NZ*¹ || 19 a *om. NZ*¹ || 25 pugna *HVL* || haec *NZ* || 28 uerticibus *NZL* || 29 in hoste *NZ*¹, inhoneste *Z*².

cursu mutuo iugulatae, aliae apprehensis invicem faucibus strangulatae, aliae funibus ad sua colla ligatis equorumque cruribus protractae interierunt, aliae laqueo de subrectis plaustrorum temonibus pependerunt; quaedam dum se suspenderet, duos filios traiectis per colla eorum laqueis ad suos pedes vinxit. ita his duobus proeliis trecenta quadraginta milia Gallorum occisa, centum quadraginta milia capta sunt absque innumera multitudine mulierum, quae femineo furore se suosque parvulos necaverunt. ‖ *his belli finis fuit; triumphus utrique decretus est.*

III *Sex. Iulio Caesare et L. Marcio Philippo consulibus sexcentesimo quinquagesimo nono anno ab urbe condita, cum prope alia omnia bella cessarent, in Italia gravissimum bellum Picentes Marsi Pelignique moverunt, qui cum annis numerosis iam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi aequam adserere coeperunt. perniciosum admodum hoc bellum fuit. Rutilius consul in eo occisus est, Caepio nobilis iuvenis, Porcius Cato alius consul. duces autem adversus Romanos Picentibus et Marsis fuerunt T. Vettius, Hierius Asianus, T. Legennius, A. Cluentius. a Romanis bene contra eos pugnatum est a C. Mario, qui sexies consul fuerat, et a Cn. Pompeio, maxime tamen a L. Cornelio Sulla, qui inter alia egregia ita Cluentium hostium ducem cum magnis copiis fudit, ut ex suis unum amitteret. quadriennio cum gravi tamen calamitate hoc bellum tractum est. quinto demum anno finem accepit per L. Cornelium Sullam consulem, cum antea in eodem bello ipse multa*
A [1] *strenue sed praetor gessisset.* ‖ ipso in tempore dira prodigia visa sunt: nam sub ortu solis globus ignis a regione septentrionis cum maximo caeli fragore emicuit; apud Arretinos in convivio cruor e panibus quasi e vulneribus corporum fluxit; per septem continuos dies grando lapidum inmixtis etiam testarum fragmentis terram latissime verberavit; in Samnitibus e vastissimo terrae hiatu flamma prorupit et usque in caelum
[2] extendi visa est. ‖ tunc etiam omnium generum animalia, quae inter homines vivere solita erant, relictis stabulis pascuisque cum balatu hinnitu mugituque miserabili ad silvas montesque fugerunt; canes quoque, quorum natura est extra homines

---

[1] Or. 335. [2] Or. 336.

---

1 faciebus *V*, f**bus *H*[1], fas*cibus *H*[2] ‖ 9 utique *NZ* ‖ est *om.* *HV* ‖ 12 picenses *HV* ‖ 14 obedierint *Z*, *ex* oboedierunt *N* ‖ 18 asianius *NZ*[1] ‖ 19 cleuentius *NZ*[1] ‖ contra eos bene *HV* ‖ 24 demum] decimo *HV* ‖ 25 ipsa *HV* ‖ 29 quasi a *VNZ* ‖ 30 textarum *HN*[2]*Z*.

esse non posse, lacrimosis ululatibus vagi luporum ritu ober-
rarunt nec mora post haec tam gravia prodigia civilia bella [1]
secuta sunt. || apud Iudaeos ea tempestate primus Aristobolus [2]
rex pariter et pontifex diadematis sumpsit insigne. ||

IIII *Anno urbis conditae sexcentesimo sexagesimo secundo primum Romae bellum civile commotum est, eodem anno etiam Mithridaticum. causam bello civili C. Marius sexies consul dedit. nam cum Sulla consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam et Achaiam occupaverat, mitteretur, isque exercitum in Campania paulisper teneret, ut belli socialis, de quo diximus, quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiae tollerentur, Marius adfectavit, ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. qua re Sulla commotus cum exercitu ad urbem venit. illic contra Marium et Sulpicium dimicavit. primus urbem armatus ingressus est, Sulpicium interfecit, Marium fugavit, atque ita ordinatis consulibus in futurum annum Cn. Octavio et Cornelio Cinna ad Asiam profectus.*

V *Mithridates, qui Ponti rex erat atque Armeniam minorem et totum Ponticum mare in circuitu in Bosphoro tenebat, primo Nicomedem amicum populi Romani Bithynia voluit expellere senatuique mandavit bellum se ei propter iniurias, quas passus fuerat, inlaturum. a senatu responsum Mithridati est, si id faceret, quod bellum a Romanis et ipse pateretur. quare iratus Cappadociam statim occupavit et ex ea Ariobarzanem regem et amicum populi Romani fugavit. mox etiam Bithyniam invasit et Paphlagoniam pulsis ex ea regibus amicis populi Romani Polemene et Nicomede. inde et Ephesum contendit et per omnem Asiam litteras misit, ut ubicumque inventi essent cives Romani, uno die occiderentur.*

VI *Interea etiam Mathone civitas Achaiae ab Aristone Atheniensi Mithridati tradita est. miserat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem suum cum centum et viginti milibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Graecia occupata est. Sulla Archelaum apud Piraeum non longe ab Athenis obsedit, ipsas cepit. postea commisso proelio contra Archelaum ita eum vicit, ut ex* CXX *milibus vix decem Archelao superes-*

---

[1] *cf.* Or. 341. [2] Hier. 1913.

---

6 commotum exortum (exhortum *H*) est *HV* || 14 in *ante* urbem *add.* *HV* || urbem romam *NZ* || 18 atque] ad *NZ* || 22 mithridati (dati *add.* N^2 *in ras.*) datum est si *NZ* || 24 ariobarzenem *HV*, acriobarzanem NZ^1 || 26 pulsit *HV* || 27 polemene — 29 romani *om.* *NZ* || 27 et *om.* *NL* || 30 ab istrone athaniensi *NZ*.

sent, ex Sullae exercitu XIII *tantum homines interficerentur. hac pugna Mithridates cognita septuaginta milia lectissima ex Asia Archelao misit, contra quem Sulla iterum commisit. primo proelio quindecim milia hostium interfecta sunt et filius Archelai Diogenes; secundo omnes Mithridates copiae extinctae sunt, Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit. hac re audita Mithridates iussit cum Sulla de pace agi.*

VII *Interim eo tempore Sulla etiam Dardanos Scordiscos Dalmatas et Moessos partim vicit, alios in fidem accepit. sed cum legati a rege Mithridate, qui pacem petebat, venissent, non aliter se daturum Sulla esse respondit, nisi rex relictis his quae occupaverat, ad regnum suum redisset. postea tamen ad colloquium ambo venerunt. pax inter eos ordinata est, ut Sulla ad bellum civile festinans a tergo periculum non haberet. nam dum Sulla in Achaia atque Asia Mithridatem vicit, Marius, qui fugatus erat, et Cornelius Cinna unus ex consulibus bellum in Italia reparaverunt et ingressi urbem Romam nobilissimos e senatu et consulares viros interfecerunt, multos proscripserunt, ipsius Sullae domo eversa filios et uxorem ad fugam conpulerunt. universus reliquus senatus ex urbe fugiens ad Sullam in Graeciam venit orans, ut patriae subveniret. ille in Italiam traiecit bellum civile gesturus adversus Norbanum et Scipionem consules. et primo proelio contra Norbanum dimicavit non longe a Capua. tum sex milia eius cecidit, sex cepit,* XXIIII *suos amisit. inde etiam ad Scipionem se convertit et ante proelium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit.*

VIII *Sed cum Romae mutati consules essent, Marius Marii filius ac Papirius Carbo consulatum accepissent, Sulla contra Marium iuniorem dimicavit et* XV *milibus eius occisis* CCCC *de*
[1] *suis perdidit.* ‖ Sulla deinde cum Campanio Samnitium duce et reliquis copiis ad portam Collinam signa contulit, octoginta
[2] milia hominum occidit. ‖ *mox etiam urbem ingressus* ‖ tria milia hominum contra fidem datam inermes peremit cumque magna crudelitate adversus sontes insontesque saeviret,

[1] Or. 348. [2] Or. 349.

1 XIII] tertium decimum *NZ*[1] ‖ 5 mithridatis *Z*[2] ‖ 9 moeses *NZ*, moesos *L* ‖ 10 petebant *HV* ‖ 15 deuincit *NZ* ‖ 17 nobilissimo* senatu *NZ* ‖ 18 interficerent *N*, interficer* *Z*[1] ‖ 24 occidit *HV* ‖ sex] sexcentos *N*[2]*Z* ‖ 31 campania *H*, canpaniam *V*, campaniae *ZN*[1], campanio *N*[2]*L* ‖ sannitium *NZ* ‖ 33 ingressus est *E* ‖ 35 saeuirent *HN*.

Q. Catulus palam Sullae dixit: cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? ¦ Sulla dehinc Marcomarium de caprili casa extractum vinciri [1] iussit ductumque trans Tiberim effossis oculis membris minutatim exectis vel fractis trucidari. ‖ *Marium Marii filium Praeneste persecutus obsedit et ad mortem conpulit. rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium et Carrinatem duces partis Marianae ad portam Collinam.* LXX *milia hostium in eo proelio contra Sullam fuisse dicuntur.* XII *milia se Sullae dediderunt, ceteri in acie in castris in fuga insatiabili ira victoris consumpti sunt. C. quoque Carbo consul alter ab Arimino in Siciliam fugit et ibi per Cn. Pompeium interfectus est, quem adulescentem Sulla atque annos unum et viginti natum cognita eius industria tantis exercitibus praefecerat, ut secundus a Sulla haberetur.* A

VIIII *Occiso ergo Carbone Siciliam Pompeius recepit. transgressus inde ad Africam Domitium Marianae partis ducem et Hierdam regem Mauritaniae, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. post haec Sulla de Mithridate ingenti gloria triumphavit. Cn. etiam Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum et vicesimum annum agens de Africa triumphavit. hunc finem habuerunt duo bella funestissima, Italicum, quod et sociale dictum est, et civile, quae ambo tracta sunt per annos decem. consumpserunt autem ultra* CL *milia hominum, viros consulares* XXIII, *praetorios* VII, *aedilicios* LX, *senatores fere* CC.

¦ post haec tamen Sulla mortuo Lepidus Marianae partis adversus Catulum Sullanum ducem consurgens bellum reparavit; [2] A bis tunc acie certatum est, plurimi Romanorum extincti. Albanorum civitas pro eo, quod illuc Scipio Lepidi filius confugissit, expugnata et capta est. Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens apud Regium interfectus est. ‖ hoc tempore Hierosolymis Alexandra uxor Alexandri regnabat, ex cuius aetate Iudaeos rerum confusio et variae clades oppressere. ‖ [3]

[1] Or. 350. [2] Or. 354. [3] Hier. 1941.

3 marcum marium *L (cf. 34, 36)* ‖ 5 exactis N^2Z ‖ 8 partes NZ^1 ‖ 10 dederunt *NZL* ‖ 12 in] ad *E* ‖ 23 aciuile *NZ* ‖ 27 sylanum *H*, silanum *V* ‖ 32 iudaeos rerum] iudaeorum NZ^1, iudaeos Z^2.

LIBER SEXTVS.

I *M. Aemilio Lepido, Q. Catulo consulibus, cum Sulla rem publicam conposuisset, bella nova exarserunt, unum in Hispania, alium in Pomphylia et Cilicia, tertium in Macedonia, quartum in Dalmatia. nam Sertorius, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorum, qui interempti erant, ad bellum commovit Hispanias. missi sunt contra eum duces Quintius Caecilius Metellus, filius eius qui Iugurtham regem vicit, et L. Domitius praetor. a Sertorii duce Hirtuleio Domitius occisus est. Metellus vario successu contra Sertorium dimicavit. postea cum inpar pugnae solus Metellus putaretur, Cn. Pompeius ad Hispanias missus est. ita duobus ducibus adversis Sertorius fortuna varia saepe pugnavit. octavo decimo anno per suos occisus est, et finis ei bello datus per Cn. Pompeium adulescentem et Q. Metellum Pium atque omnes prope Hispaniae in dicionem populi Romani redactae.*

II *Ad Macedoniam missus est Ap. Claudius post consulatum. levia proelia habuit contra varias gentes quae Rodopam provinciam incolebant, atque ibi morbo mortuus est. missus ei successor C. Scribonius Curio post consulatum. is Dardanos vicit et usque ad Danuvium penetravit triumphumque meruit et intra triennium bello finem dedit.*

III *Ad Ciliciam et Pamphyliam missus est post Servilius ex consule, vir strenuus. is Siciliam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit et cepit, in his Faselidam Olympum Coracum Ciliciae. Isauros quoque adgressus ad deditionem redegit atque intra triennium bello finem dedit. primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit. is revertens triumphum accepit et nomen Isaurici meruit.*

IIII *At in Illyricum missus est C. Cosconius pro consule. is multam partem Dalmatiae subegit, Salonas cepit et conposito bello Romam post biennium rediit.*

---

9 a] ad *NZ*[1] ‖ 12 aduersus *HV*[1]*NZ*[1] ‖ 13 sertorium *N*[1]*Z*[1] ‖ 14 fines *N*, fine *Z*[1], finem *L* ‖ 21 danuuium] deuium *NZ* ‖ triumphum *HV* ‖ 26 redigit *HV* ‖ 30 atque *HVL* ‖ sconius *Z*[1], sco∗conius *N*, asconius *Z*[2] ‖ his *NZ*[1].

V *Isdem temporibus consul M. Aemilius Lepidus Catuli collega civile bellum voluit commovere, intra unam tamen aestatem motus eius obpressus est. ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt, Metelli ex Hispania, Pompei secundus ex Hispania, Curionis ex Macedonia, Servilii ex Isauria.*

VI *Anno urbis conditae sexcentesimo septuagesimo sexto L. Licinnio Lucullo et M. Aurelio Cotta consulibus mortuus est Nicomedes rex Bithyniae et testamento populum Romanum heredem fecit. Mithridates pace rupta Bithyniam et Asiam rursus voluit invadere. adversus eum ambo consules missi non unam habuere fortunam. Cotta apud Calcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus est et obsessus. sed cum se inde Mithridates Cyzicum transtulisset, ut Cyzico capto totam Asiam invaderet, Lucullus ei alter consul occurrit. ac dum Mithridates in obsidione Cyzici commoratur, ipse eum a tergo obsedit fameque consumpsit et multis proeliis vicit, postremo Byzantium, quae nunc Constantinopolis est, fugavit. navali quoque proelio duces eius Lucullus obpressit. ita una hieme et aestate a Lucullo ad centum fere milia regis exstincta sunt.*

VII *Anno urbis Romae sexcentesimo septuagesimo octavo Macedoniam provinciam M. Licinnius Lucullus accepit consobrinus eius, qui contra Mithridatem bellum gerebat. et in Italia novum bellum subito commotum est. septuaginta enim et quattuor gladiatores ducibus Partaco Crixo et Oenomao effracto Capuae ludo fugerunt.* || [1] Vesuvium montem occupaverunt; unde erumpentes Clodii praetoris, qui eos obsidione cinxerat, castra expugnaverunt ipsoque in fugam acto cuncta in praedam averterunt. inde per Consentiam et Metapontum circumducti ingentia brevi agmina colligerunt; itaque cum caedibus incendiis rapinis stuprisque omnia miscerent multaeque se matronae ob dolorem pudoris violati necassent, || *paene non levius bellum in ea, quam Hannibal, moverunt. nam multis ducibus et duobus simul Romanorum consulibus victis sexaginta fere milium armatorum exercitum congregaverunt victique sunt in Apulia a M. Licinnio Crasso proconsule, et post multas calamitates Italiae tertio anno bello huic finis impositus.*

---

[1] Or. 360.

---

14 dimitridates *HV* || 15 cyzico *HV*, cizi *NZ* || 17 naualia quoque proelia (a *in ras.* N^2) NZ^1 || 24 parataco N^2Z^1 || effrato *NZ* || 25 fugerunt et per Italiam uagantes paene *E* || 27 ipso quoque *NZ* || everterunt *NZ* || 30 stuprique *NV* || 36 in Italiae NZ^1.

VIII *Sexcentesimo octogesimo primo anno urbis conditae P. Cornelio tantum gravia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum et Macedonicum. haec duo Luculli agebant, L. Lucullus et M. Lucullus. L. ergo Lucullus post pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridatem, et navalem, qua duces eius obpresserat, persecutus est eum et recepta Paphlagonia atque Bithynia etiam regnum eius invasit, Sinopen et Amison civitates Ponti nobilissimas cepit. secundo proelio apud Gaveram civitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum* XXX *milia lectissima regis a* V *milibus Romanorum vastata essent, Mithridates fugatus et castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane Armeniae rege, qui tum ingenti gloria imperabat, Persas saepe vicerat, Mesopotamiam occupaverat et Syriam et Phoenices partem.*

VIIII *Ergo Lucullus repetens hostem fugatum etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est. Tigranocertam civitatem Artianenae nobilissimam regni Armeni accepit, ipsum regem cum septem milibus quingentis glibanariis et centum milibus sagittariorum et armatorum venientem decem et octo milia militum habens ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit. inde Nisibim profectus eam quoque civitatem cum regis fratre cepit. sed hii, quos in Ponto Lucullus reliquerat cum exercitus parte, ut regiones victas et iam Romanorum tuerentur, neglegentes se et avare agentes occasionem iterum Mithridati in Pontum inrumpendi dederunt, atque ita bellum renovatum est. Lucullo paranti capta Nisibi contra Persas expeditionem successor est missus.*

X *Alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit. oppidum Uscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo adgressus est, vicit, Cabulem cepit, usque ad* [1] *Danuvium penetravit.* expugnavit etiam ‖ gentes, quae Rhôdopaeis montibus circumfusae inter cetera dictu audituque horrida, quae in captivos agebunt, raptis cum poculo opus esset

[1] Or. 358.

2 in *om.* *HV* ‖ 4 pugnam] fugam *HV* ‖ quam NZ^1 ‖ 7 amisson *HVL* ‖ 8 gaberam *H*, gaueran *N* ‖ 10 a v milibus] au H^1N, aut Z^1, a VZ^2 ‖ 13 trigane N^1Z ‖ 15 suriam effenices NZ^1 ‖ 18 arzianenae *H* ‖ armenii *ZL* ‖ 19 cum sexcentum (sexcenti *D*) septem milibus *NZ*, *om.* quingentis ‖ libanariis NZ^1 ‖ 25 neglegenter *VL* ‖ 26 mitridatem *NZ* ‖ 29 Lucillus NZ^1 ‖ 30 primum NZ^1L ‖ 31 muscudaman *NZL* ‖ 32 Cabulen *HL* ‖ 32 ad *om.* *NZ* ‖ 34 circumfugae *HV* ‖ in *NZ*.

humanorum capitum ossibus cruentis capillatisque adhuc ac per interiores cavernas male effosso cerebro oblitis avide ac sine horrore tamquam poculis utebantur. || *inde multas supra Pontum positas civitates adgressus est. illic Apolloniam evertit, Galathiam Partenopolim Tomos Histrum Burziaonem cepit belloque confecto Romam rediit. ambo tamen triumphaverunt, Lucullus qui contra Mithridatem pugnaverat maiore gloria, cum tantorum regnorum victor redisset.*

XI *Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod recedente Lucullo rex collectis auxiliis reparaverat, bellum Creticum ortum est. ad id missus Caecilius Metellus ingentibus proeliis intra triennium omnem provinciam cepit appellatusque est Creticus atque ex insula triumphavit. quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Appionis, qui rex eius fuerat, accessit, in qua inclytae urbes erant Berenice Ptolomais Cyrene.*

XII *Dum haec aguntur, piratae omnia maria infestabant ita, ut Romanis toto orbe victoribus sola navigatio tuta non esset. quare id bellum Cn. Pompeio decretum est. quod intra paucos menses ingenti et felicitate et celeritate confecit. mox ei delatum etiam bellum contra reges; Mithridaten in Armenia minore nocturno proelio vicit, castra diripuit, quadraginta milia eius occidit, viginti tantum de exercitu suo perdidit et duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit et duobus comitibus. neque multo post cum in suos saeviret* || complures amicos suos [1] nec non Exipodram Magaremque filios suos trucidasset, Pharnaces alter filius eius exemplo fratrum territus exercitum ad persequendum se missum sibi conciliavit et mox adversus patrem duxit. Mithridates diu ex altissimo muro filium frustra precatus ubi inexorabilem vidit, ita fertur exclamasse: quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet, vos, si estis dii patrii, precor, ut quandocumque hanc vocem ipse audiat a liberis suis, statimque descendens ad uxores pelices ac filias suas venenum omnibus dedit; quod cum ipse novissimus hausisset nec tamen propter remedia, quibus se praemunierat, confici

[1] Or. 381.

1 capillatis *NZ* || 2 effoso *N*[1]*Z*, effuso *L* || celebro *NZ*, *om.* *V*[1] || 5 Galatiam *V*, Gallathiam *N* || burtianem *NZ*, burzia omnem *V* || bello conflicto *NZ* || 9 quo *HV* || 11 Cicilius *NZ* || 15 beronice *Z*, uernices *V*, uaernice *H* || 25 saeuiret, Pharnacis filii sui apud milites seditione ad mortem coactus uenenum hausit. hunc *E* || 26 magareque *HV*, agareque *NZ* || 31 patri *HV* || 33 felices *HV*.

possit, Gallum quendam militem invitavit eique iugulum praebuit. || *hunc finem habuit Mithridates; periit autem apud Bosphorum. vir ingentis industriae consiliisque regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus, contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.*

XIII *Tigrani deinde Pompeius bellum intulit. ille se ei dedit et in castra Pompei* XVI *miliario ab Artaxata venit ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompei, in manibus ipsius conlocavit. quod ei Pompeius reposuit honorificeque eum habitum regni tamen parte multavit et grandi pecunia. adempta est ei Syria Phoenice Sophene sex milia praeterea talentorum argenti, quae populo Romano daret, quia bellum sine causa Romanis commovisset.*

XIIII *Pompeius mox etiam Albanis bellum intulit et eorum regem Proden ter vicit, postremo per epistolas ac munera rogatus veniam ei ac pacem dedit. Hiberiae quoque regem Artacen vicit acie et in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro Galatiae regi donavit, quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo et Polemini Paphlagoniam reddidit. Aristarchum Colchis regem imposuit. mox Ituraeos et Arabas vicit. et cum venisset in Syriam, Seleuciam vicinam Antiochiae civitatem libertatem donavit, quod regem Tigranem non recepisset. Antiocensibus obsides reddidit. aliquantum agrorum Damascensibus dedit, quo locus ibi spatiosior fieret, delectatus loci amoenitate et aquarum abundantia. inde ad Iudaeam transgressus est, Hierosolymam caput gentis* || obsedit non solum natura loci verum etiam ingenti muro fossaque maxima munitam. cum alias aliis legiones die nocteque succedere sine requie cogeret, vix || *tertio mense* expugnavit. *XIII milibus Iudaeorum occisis ceteris in fidem acceptis* || muros civitatis everti aequarique solo imperavit, cuius circuitus quattuor milium passuum dicitur fuisse. cumque aliquantos principes Iudaeorum securi percussisset, Hyrcano sacerdotium restituit, Aristobolum captum Romam duxit. hoc bellum Orientis cum viginti et duobus regibus sese gessisse

[1] Or. 384. [2] Or. 385.

3 conciliisque HV^1, consiliisque Z^2L || 6 trigrani *NZ* || dedidit *HV* || 7 miliarios N^1Z^1, milliariis N^2Z^2 || 9 quo *NZ* || 11 suria NZ^1 || 15 proden ter] *H*, broden ter *Z*, pruden ter *V*, prudentem *N* || 18 Mitridati NZ^1 || 19 polemeni HZ^2 || aristacchum *V*, aristachum *Z*, tristachum *N* || 21 libertate *N* || 23 damnacensibus *NZ* || 24 lucus N^1L, loco *V* || 27 aliis alias *V*, aliis *om.* *H* || 28 expugnauit] cepit *E* || 29 XIIII *HL* || 30 euertit VZ^1 || 33 captiuum *NZL* || 34 se *NZ*.

ipse Pompeius narravit. || *his gestis in Asiam se recepit et finem antiquissimo bello dedit.*

M. Tullio Cicerone oratore et Cn. Antonio consulibus anno XV
urbis conditae sexcentesimo octogesimo nono L. Sergius Catilina nobilissimi generis vir sed ingenii pravissimi ad delendam patriam coniuravit cum quibusdam claris quidem sed audacibus viris. a Cicerone urbe expulsus est. socii eius deprehensi in carcere strangulati sunt. ab Antonio altero consule Catilina ipse victus proelio est et interfectus.

Sexcentesimo nonagesimo anno urbis conditae D. Iunio XVI
Silano et L. Murena consulibus Metellus de Creta triumphavit, Pompeius de bello piratico et Mithridatico. nulla umquam pompa triumphi similis fuit. ducti sunt ante eius currum filii Mithridatis, filius Tigranis et Aristobolus rex Iudaeorum, praelata est ingens pecunia et auri atque argenti infinitum. hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

Anno urbis conditae sexcentesimo nonagesimo tertio C. XVII
Iulius Caesar, qui postea imperavit, cum L. Bibulo consul est factus. decreta est ei Gallia et Illyricum cum legionibus denis. primos vicit Helvetios qui nunc Sequani appellantur, deinde vincendo bella gravissima usque ad Oceanum Britannicum processit. expugnavit namque in ea || Helvitios Tulingos Lato- [1]
bolos Rauracos et Boios, ex quibus XLVII milia perempta sunt, cetera diffugerunt. deinde Ariovistum regem, cui auxiliabantur Arudes Marcomones Triboci Wangiones Nemetes Eduses et Suebi, fugere compulit duasque uxores eius totidemque filias cepit omnemque exercitum per quinquaginta milia passuum insatiabiliter cecidit. post haec gentem Belgarum, cui adhae- A
serant Bellovagui cum sexaginta milibus armatorum, Suessones cum quinquaginta milibus, Nervii praeterea, quorum adeo indomita feritas erat, ut numquam ad se mercatores accedere sinerent, hi nihilominus quinquaginta milia armatorum habentes Atrepates etiam et Ambiani Menappi Caleti Velocasses Velomandi Atuatici Condurses Eburones Cerosi Cemani, qui uno nomine Germani vocantur, quorum omnium cum his, quos supra diximus, ducenta septuaginta duo milia fuisse

[1] Or. 387—391.

4 Catilena *HVL* (*et* 8) || 10 septingenti decem *NZ* || 14 perlata N^2Z || 19 regionibus *HV* || 20 sequani] squadi *HV* || 23 perempti *NZ* || 24 diffugierunt *NZ* || 25 et] e *NZ* || 26 sueui *HV* || 29 bellouacui *V* || 30 mitibus N^1, militibus N^2Z || nervii] interui HVN^1, interemit N^2Z || 33 adrepates *V* || belocases *NZ* || 34 ueloman *N*, uelomani *Z* || atuatug *HV*.

referuntur. hi cum repente e silvis erumpentes exercitum Caesaris perterritum in fugam vertissent, tandem hortatu Caesaris exercitus restitit eosque usque ad internicionem paene [1] delevit. ‖ dehinc Titurius Albinus legatus Caesaris Alvercos Eburovices Lixoviosque incredibili caede delevit. P. Crassus alter legatus ex Aquitanis et Cantabris triginta et octo B milia interfecit. Caesar rursus Germanos, qui Rhenum transierant et totas Gallias sibi subicere parabant, bello adortus usque ad internicionem cecidit, quorum feruntur quadringenta quadraginta milia fuisse; deinde facto ponte Rhenum transgressus Suevos maximam et ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos multi prodidere, totamque Germaniam perterruit, mox in Galliam se recepit. ‖ *domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quae inter Alpes flumen Rhodanum Rhenum et Oceanum est et circuitu patet ad bis tricies centena milia passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. eos quoque victos obsidibus acceptis stipendiarios fecit. Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sextertium quadringenties Germanosque trans Rhenum adgressus inmanissimis proeliis vicit. inter tot successus ter male pugnavit apud Arbenos semel praesens et absens a Germania bis; nam legati eius duo Titurius et Aurunculeius per insidias caesi sunt.*

XVIII *Circa eadem tempora anno urbis conditae sexcentesimo nonagesimo septimo M. Licinnius Crassus collega Cn. Pompei Magni in consulatu secundo contra Parthos missus est, et cum circa Carras contra omen et auspicia dimicasset, a Surena Orodis regis duce victus ad postremum interfectus est cum filio clarissimo et praestantissimo iuvene. reliquiae exercitus per Cassium quaestorem servatae sunt, qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, ut Persas rediens trans Euphraten crebris proeliis vinceret.*

XVIIII *Hinc iam bellum civile successit execrandum et lacrimabile, quo praeter calamitates, quae in proeliis acciderunt, etiam populi Romani fortuna mutata est. Caesar enim rediens ex Gallia*

---

[1] Or. 394. 395.

---

5 euorabices *NZ* ‖ lixiuiosque *HV* ‖ 6 cantobris NZ^1 ‖ 8 adhorsus *HV* ‖ 9 quarum *P* ‖ 15 bis] uis *N*, uicies *Z* ‖ 16 eum] cum HNZ^1 ‖ nec N^2Z ‖ 19 quadringentos (-tes *N*) *NZ* ‖ 21 aruenos VZ^2 ‖ 22 arunculeius (-leus *H*) *HV* ‖ 24 eandem *NZ* ‖ 25 lucinnius (-inius Z^1) *NZ* ‖ 26 cum] circum *NZ* ‖ 29 et praestantissimo *om.* *NZ* ‖ 34 acciderant *NZ*.

victor coepit poscere alterum consulatum atque ita, ut sine dubietate aliqua ei deferretur. contradictum est a Marcello consule, a Bibulo, a Pompeio, a Catone, iussusque dimissis exercitibus ad urbem redire || et ex Marcelli consulis auctoritate [1] ad legiones, quae apud Luceriam erant, Pompeius cum imperio missus est. || *propter quam iniuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adversum patriam cum exercitu venit. consules cum Pompeio senatusque omnis atque universa nobilitas ex urbe fugit et in Graeciam transiit. apud Epirum Macedoniam Achaiam Pompeio duce senatus contra Caesarem bellum paravit.*

Caesar vacuam urbem ingressus dictatorem se fecit. inde XX *Hispanias petiit. ibi Pompei exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus L. Afronio, M. Petreio, M. Varrone, superavit. inde regressus Graeciam transiit, adversum Pompeium dimicavit. primo proelio victus est et fugatus, evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit, dixitque Caesar nec Pompeium scire vincere et illa tantum die se potuisse superari. deinde in Thessalia apud Paleopharsacum productis utrique ingentibus copiis dimicaverunt. Pompei acies habuit* XL *milia peditum, equites in sinistro cornu sexcentos, in dextro quingentos, praeterea totius Orientis auxilia, totam nobilitatem, innumeros senatores praetorios consulares et qui magnorum iam bellorum victores fuissent. Caesar in acie sua habuit peditum non integra* XXX *milia, equites mille.*

Numquam adhuc Romanae copiae in unum neque maiores XXI *neque melioribus ducibus convenerant, totum terrarum orbem facile subacturae, si contra barbaros ducerentur. pugnatum tamen est ingenti contentione,* || cumque diu utrimque dubia [2] sorte caederentur atque ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret: parce civibus, nec tamen faceret, ex alia vero Caesar hoc faceret, quod urgeret, dicens: miles faciem feri, tandem universus Pompei fugit exercitus || *castraque eius direpta sunt. ipse fugatus Alexandriam petiit, ut a rege Aegypti, cui tutor a senatu datus fuerat propter iuvenilem eius aetatem,*

[1] Or. 415. [2] Or. 420.

2 deferreretur N^2Z || 4 rediret NZ^2 *qui add.* ut || 7 aduersus *HV* || 12 Caesarem *NZ* || 13 petiuit *NZ* || ibi *om.* *NZ* || 14 et fronio *V*, affronio *NZ* || bassone *NZ*, marsone *H* || 18 potuisset *NZ* || 19 Thesalia *NZ* || 20 utrimque *Z* || pompeia *HV*, Pompeius N^2Z || 23 praetorios — 24 uictores *om.* *NZ* || 29 contentione uictusque ad postremum Pompeius et castra eius *E* || utrique N^2Z || deuia *NZ* || 32 urgueret *NZ* || 34 in Alexandriam *HV*.

acciperet auxilia. qui fortunam magis quam amicitiam secutus occidit Pompeium, caput eius et anulum Caesari misit. quo conspecto Caesar etiam lacrimas fudisse dicitur tanti viri intuens caput et generi quondam sui.

XXII *Mox Caesar Alexandriam venit. ipse quoque Ptolomaeus*
[1] insidias paravit. ‖ Caesar vi insistentium hostium pressus scapham ascendit, qua mox pondere subsequentium gravata ac mersa per ducentos passus ad navem una manu elevata, qua chartas tenebat, natando pervenit. mox navali certamine pulsatus magna facilitate classem regiam aut depressit aut cepit. Alexandrinis petentibus regem reddidit monitum, ut amicitiam magis Romanam quam arma experiri studeret; qui tamen ilico, ut liber fuit, bellum intulit sed continuo cum toto exercitu suo et ipse deletus est; nam viginti milia hominum in eo bello caesa referuntur; duodecim milia cum septuaginta longis navibus dedita, quingenti ex victoribus cecidisse dicuntur. rex ipse adulescens scapha exceptus, ut fugeret, multis insilientibus mersus necatusque est, corpus eius ad litus devolutum indicio loricae aureae cognitum fuit. ‖ *Caesar Alexandria potitus regnum Cleopatrae dedit Ptolomaei sorori, cum qua consuetudinem stupri habuerat,* quae postea ‖
[2] regio comitatu urbem ingressa est. ‖ *rediens inde Caesar Pharnacem Mithridatis Magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto et multas populi Romani provincias occupantem, vicit acie, postea ad mortem coegit.*

XXIII *Inde Romam regressus tertio se consulem fecit cum M. Aemilio Lepido, qui ei magister equitum dictatori ante annum fuerat. inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Iuba Mauritaniae rege bellum reparaverat. duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio ex genere antiquissimo Scipionis Africani (hic etiam socer M. Pompei fuerat), M. Petreiusque Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus Sullae dictatoris filius. contra hos commisso proelio post multas dimicationes victor fuit Caesar. Cato Scipio Petreius Iuba ipsi se occiderunt. Faustus Sullae quondam dictatoris filius Pompei gener a Caesare interfectus est.*

---

[1] Or. 422. [2] Hier. 1971.

---

4 quandam *HV* ‖ 5 ipsi *HV* ‖ Ptolemaeus parare uoluit insidias, qua causa bellum regi inlatum est. uictus in Nilo periit inuentumque est eius corpus cum lorica aurea. Caesar *E* ‖ 15 caesa fuisse *HV* ‖ 17 ipsa *HV*¹ ‖ 18 insilentibus *HVNZ*¹ ‖ 27 que *HV* ‖ 28 nouitas *NZ* ‖ 34 se *om. NZ* ‖ 35 a *om. NZ* ‖ 36 est *om. NZ.*

XXIIII *Post annum Caesar Romam cum quattuor triumphis ingressus quarto se consulem fecit et statim ad Hispanias est profectus, ubi Pompei filii Cn. Pompeius et Sex. Pompeius ingens bellum praeparaverant. multa proelia fuerunt, ultimum apud Mundam civitatem, in quo adeo Caesar paene victus est, ut fugientibus suis se voluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatem adulescentium natus annos sex et quinquaginta veniret. denique reparatis suis vicit. ex Pompei filiis maior occisus est, minor fugit.*

XXV *Inde Caesar bellis civilibus toto orbe conpositis Romam rediit. agere insolentius coepit et contra consuetudinem Romanae libertatis. cum ergo et honores ex sua voluntate praestaret, qui a populo antea referebantur, nec senatui ad se venienti adsurgeret aliaque regia et paene tyrannica faceret, coniuratum est in eum a sexaginta vel amplius senatoribus equitibusque Romanis. praecipue fuerunt inter coniuratos duo Bruti ex eo genere Bruti, qui primus Romae consul fuerat et reges expulerat, et C. Cassius et Servilius Casca. ergo Caesar cum senatus die inter ceteros venisset ad curiam, tribus et viginti vulneribus confossus est.* || [1] vir, quo nullus umquam bellis magis enituit. eius siquidem ductu undecies centum nonaginta et duo milia hostium caesa sunt, nam quantum bellis civilibus fuderit, noluit adnotare; signis conlatis quinquagies dimicavit M. Marcellum solus supergressus, qui triginta novem vicibus pari modo fuerat proeliatus. adhoc nullus celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas etiam epistolas simul dictavit. tantae fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, clementia magis vicerit. || [2] eodem tempore Romae tres simul exorti soles paulatim in eandem urbem coierunt; inter cetera portenta, quae toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romae ad arantem locutus est frustra se urgeri, non enim frumenta sed homines brevi defuturos. ||

---

[1] Solin. 1, 106, 107. [2] Hier. 1973.

---

2 et *om.* *NZ* || 3 profectus est *NZ* || 5 qua *HV* || 8 deueniret N^2Z || 14 regi *NZ* || 15 a] cc *HVL* || 16 equitibus *VNZ* || 17 prius *NZ* || 19 aduenisset *NZ* || 24 marcellus HV^1 || qui triginta] quinquaginta et *NZ* || 25 nemo *VNZ* || 27 subigerat VN^1Z^1L || 29 consules N^2Z || orbem *L* || colerunt *NZ* || 30 facte NZ^1 || 31 arantes *NZ*.

LIBER SEPTIMVS.

I *Anno urbis septingentesimo fere ac nono interfecto Caesare civilia bella reparata sunt. percussoribus enim Caesaris senatus favebat. Antonius consul partium Caesaris civilibus bellis obprimere eos conabatur. ergo turbata re publica multa Antonius scelera committens a senatu hostis iudicatus. missi ad eum persequendum duo consules Pansa et Hirtius et Octavianus* [1] *adulescens annos* XVII *natus,* ‖ patre Octavio senatore genitus, maternum genus ab Aenea per Iuliam familiam sortitus, ‖ *Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat et nomen suum ferre iusserat. hic est, qui postea Augustus est dictus et rerum potitus. quare profecti contra Antonium tres duces vicerunt eum apud Mutinam. evenit tamen, ut victores consules ambo morerentur. quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.*

II *Fugatus Antonius amisso exercitu confugit ad Lepidum, qui Caesaris magister equitum fuerat et tum militum copias grandes habebat. a quo susceptus est. mox Lepido operam dante Caesar pacem cum Antonio fecit et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorsit, ut sibi vicesimo anno consulatus daretur. senatum proscripsit, cum Antonio ac Lepido rem publicam armis tenere coepit. per hos etiam Cicero orator occisus est multique alii nobiles.*

III *Interea Brutus et Cassius interfectores Caesaris ingens bellum moverunt. erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus, quos occupaverant. profecti sunt igitur contra eos Caesar Octavianus Augustus et M. Antonius (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos Macedoniae urbem contra eos pugnaverunt. primo proelio victi sunt Antonius et Caesar, periit tamen dux nobilitatis Cassius, secundo*

---

[1] epitome 1, 2.

---

6 iudicatus est *N* ‖ 8 x et VIII *NZ* ‖ pater H^1V^1NZ ‖ 13 eum *om.* *NZ* ‖ aduenit *NZ* ‖ 15 fugatus tamen Antonius *NZ* ‖ 28 philippum *V*, philippim H^2 ‖ macedone N^2.

Brutum et infinitam nobilitatem, quod cum illis bellum gesserat, victam interfecerunt. ac sic inter eos divisa est res publica, ut Augustus Hispanias Gallias et Italiam teneret, Antonius Asiam Pontum Orientem. sed in Italia L. Antonius consul bellum civile commovit frater eius, qui cum Caesare contra Brutum et Cassium dimicaverat. is apud Perusium Tusciae civitatem victus et captus est neque occisus.

IIII *Interim a Sex. Pompeio Cn. Pompei filio ingens bellum in Sicilia commotum est his, qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. bellatum per Caesarem Augustum Octavianum et M. Antonium adversus Sex. Pompeium est. pax postremo convenit.*

V *Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit. et L. Bentilius Bassus inrumpentes in Syriam Persas tribus proeliis vicit. Pastorum regis Orodis filium interfecit eo ipso die, quo olim Orodis Persarum rex per ducem Surenam Crassum occiderat. hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romae egit.*

VI *Interim Pompeius pacem rupit et navali proelio victus fugiens ad Asiam interfectus est. Antonius, qui Asiam et Orientem tenebat, repudiata sorore Caesaris Augusti Octaviani Cleopatram reginam Aegypti duxit uxorem. contra Persas etiam ipse pugnavit. primis eos proeliis vicit, regrediens tamen fame et pestilentia laboravit et cum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit.*

VII *Hic quoque ingens bellum civile commovit cogente uxore Cleopatra regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. victus est ab Augusto navali pugna clara et inlustri apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum, et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra* || exornata diversis ornamentis [1] ad Caesarem venit sperans eum, ut ceteros, sua specie ad libidinem inlicere, sed ille se intra pudicitiam coartans ad eius concupiscentiam minime inflexus eam mox custodiri mandavit; quae custodia elapsa in pretioso sepulcro iuxta Antonium suum se collocans || *sibi aspidem admisit et veneno eius extincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Ro-*

[1] Iord. Rom. 235.

1 quae *Z* || 11 est] et *NZ* || 15 parthorum *Z* || 23 egrediens *NZ* || 24 fugientibus *NZ* || 28 in *om. NZ* || 33 inliceret *N²Z* || 35 custodielapsa *H¹V¹NZ*.

mano adiecta est praepositusque ei Cn. Cornelius Gallus. hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit.

VIII *Ita bellis toto orbe confectis Octavianus Augustus Romam rediit duodecimo anno, quam consul fuerat. ex eo rem publicam per quadraginta et quattuor annos solus obtinuit, ante enim duodecim annis cum Antonio et Lepido tenuerat.* deni-
[1] que ‖ cum de Oriente victor reversus esset urbemque triplici
[2] triumpho ingressus esset, tunc primum Augustus ‖ eo, quod
[3] rem publicam auxerit, ‖ consalutatus est atque ex tunc summam rerum potestatem, quam Graeci monarchiam vocant, ad-
[4] eptus est. ‖ his diebus trans Tiberim de taberna meritoria fons olei e terra exundavit ac per totum diem largissimo rivo
[5] [4] fluxit ‖ significans ex gentibus Christi gratiam. ‖ tunc etiam circulus ad speciem caelestis arcus circa solem apparuit. ‖
[6] [7] igitur cum quadragesimo secundo anno ‖ firmissimam verissi-
[6] mamque pacem Caesar composuisset, ‖ dominus Christus in
[7] Bethleem natus est, ‖ cuius adventui pax ista famulata est. ‖
VIIII non ullo *tempore ante* Caesarem *magis Romana res floruit. nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum Cantabriam Delmatiam saepe ante victam sed penitus tunc subactam, Pannoniam Aquitaniam Illyricum Raetiam Vindilicos et Talassos in Alpibus omnes Ponti maritimas civitates, in his nobilissimas Bosphorum et Ponticappadocem. vicit autem proeliis Dagos. Germanorum ingentes copias cecidit, ipsos quoque trans Alvim fluvium submovit, qui in barbarico longe ultra Rhenum est. hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit, sicut per Tiberium privignum alterum Pannonicum, quo bello cccc captivorum milia ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam a Parthis recepit. obsides, quod nulli ante, Persae ei dederunt. reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso victo ademerant.*

---

[1] Or. 440. [2] Paul. [3] Or. 442. [4] Or. 435.
[5[Hier. 1976. [6] Hier. 2015. [7] Or. 448.

---

1 cn.] c. *HV* ‖ 5 per *om. NZ* ‖ 6 tenuerat. ita ab initio principatus eius usque ad finem quinquaginta et sex anni fuerunt. obiit autem septuagesimo sexto anno morte communi in oppido Campaniae Atella. Romae in campo Martio sepultus vir qui (62, 25) — fastigio suo (62, 30) nullo tempore ante eum magis *E* ‖ 13 gratiam christi *NZ* ‖ 16 christus dominus *NZ* ‖ 18 nam nullo *NZ* ‖ 20 dalmatiam *H* ‖ 22 uindelicos *Z* ‖ 23 nouissimas *NZ* ‖ Panticapaeum] Ponti cappadocem (-ce *V*) *HV*, Ponti cappadociam *NZ* ‖ 25 ipsum *NZ* ‖ aluem *VL*, aluum *NZ* ‖ 30 galliam *NZ* ‖ 31 antea *HV*.

Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incogni- X
tum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset, primusque eam M. Lollius pro praetore administravit. tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent, sicut in Mauritania a rege Iuba et in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima. multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, et habitu Romano togati scilicet ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. || adeo deni- [1] A
que turbas bella simultates execratus est, ut nisi iustis de causis numquam genti cuiquam bellum indixerit, iactantisque esse ingenii et levissimi dicebat ardore triumphandi et ob lauream coronam id est folia infructuosa in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium praecipitare neque imperatori bono quicquam minus quam temeritatem congruere, satis celeriter fieri, quicquid commode gereretur, armaque nisi maioris emolumenti spe nequaquam movenda esse, ne compendio tenui iactura gravi petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti amissique detrimentum nullo capturae lucro pensari potest. avunculi quoque inventum vehementer arguebat, qui milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem principis emolliverat. denique erga cives clementissime versatus est, in amicos fidus extitit, quorum praecipui erant ob taciturnitatem Maecenas, ob patientiam laboris modestiamque Agrippa; diligebat praeterea Virgilium || Flaccumque || poetas. rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. liberalibus studiis praesertim eloquentiae intantum incumbens, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies,
quin legeret scriberet declamaret. auxit ornavitque Romam B
aedificiis multis isto glorians dicto: urbem latericiam reperi, relinquo marmoream. fuit mitis gratus civilis animi et lepidi, corpore toto pulcher sed oculis magis, quorum aciem clarissimorum siderum modo vibrans libenter accipiebat cedi ab

---

[1] epit. 1, 10—12, 14—17 (*v.* 21 *ss.*) *praeter* Flaccumque, 19—24 (*v.* 31 *ss.*), 26—28 (62, 26 *ss.*).

---

7 sicuti *HVL* || sicut in auditania a rege Iubal et *NZ* || 8 est *om. HV* || 13 ingenii haec lev. decebat *NZ* || 18 maior H^1, maiore *VNL*, maiori* Z^1, maioribus Z^2 || nequamquam *NZ* || 19 commodo N^1Z, commendio N^2 || 23 amore HV^1 || 28 amicitias *om. V*, ad recipiendas amicitias *om. H* || ad retinendas *om.* V^1, retinendam *H* || 34 acies *HVL*, acie *NZ* || 35 sidera *NZ*.

intendentibus tamquam solis radiis aspectui suo; a cuius facie dum quidam miles averteret oculos et interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. neć tamen vir tantus vitiis caruit; fuit enim paululum inpatiens, leniter iracundus, occulte invidus, palam factiosus, porro autem dominandi supra quam aestimari potest cupidissimus, studiosus aleae lusor; cumque esset cibi ac vini multum, aliquatenus tamen somni abstinens, serviebat tamen libidini usque ad probrum vulgaris famae; nam inter duodecim catamitos totidemque puellas accubare solitus erat. abiecta quoque uxore Scribonia amore alienae coniugis possessus Liviam quasi marito concedente sibi coniunxit, cuius Liviae iam erant filii Tiberius et Drusus, cumque esset luxuriae serviens, erat tamen eiusdem vitii severissimus ultor more hominum, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer in-
C dulgent, acres sunt. annos septem et septuaginta ingressus Nolae morbo interiit, quamquam alii scribant dolo Liviae extinctum metuentis, ne, quia privignae filium Agrippam, quem odio novercali in insulam religaverat, reduci compererat, eo summam rerum adepto poenas daret. igitur mortuum seu necatum multis novisque honoribus senatus censuit decorandum; nam praeter id, quod antea patrem patriae dixerat, templa tam Romae quam per urbes celeberrimas ei consecravit cunctis vulgo iactantibus: utinam aut non nasceretur aut non moreretur. || *vir qui non inmerito ex maxima parte deo similis est putatus; neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit aut in pace moderatior. quadraginta quattuor annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidelissimus, quos tantis evexerit ho-*
D [1] *noribus, ut paene aequaret fastigio suo.* || imperavit annos quinquaginta et sex, duodecim cum Antonio, quadraginta vero et quattuor solus; qui certe numquam aut reipublicae ad se potentiam traxisset aut tam diu ea potiretur, nisi magnis naturae et studiorum bonis abundasset. || *rem publicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener,*

---

[1] epit. 1, 31.

---

2 oculos auerteret *NZ* || 8 *prius* tamen] uero *ZL* || 13 filii *om. NZ* || drusius *NZ* || 16 acrescunt *VN*, crescunt *Z* || 17 nobae *N*¹*Z*, nolam *L* || quamquam talis scribant (taliscbant *Z*) dolo uiae *NZ* || 18 agrippae *NZ* || 23 ei consecrauit] celebrauit *HV* || 25 merito a parte *NZ* || 26 bellum *N*¹*Z* || 34 *ante* rem publicam *add. E* moriens diuus appellatus.

postremo adoptatione filius fuerat. ‖ iste quia Claudius Tiberius [1] XI Nero dicebatur, eleganter a iocularibus Caldius Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est. satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit, ut non inmerito rei publicae dominatus ei committeretur. inerat ei scientia litterarum multa, eloquio clarior, sed ingenio pessimo truci avaro insidioso, simulans ea se velle, quae nollet, his quasi infensus, quibus consultum cupiebat, his vero, quos oderat, quasi benivolus apparens, repentinis responsionibus aut consiliis melior quam meditatis. ‖ *nusquam ipse pugnavit, bella per legatos gessit suos.* A *quosdam reges ad se per blanditias evocatos numquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam redegit et maximam civitatem appellari nomine suo iussit, quae nunc Caesarea dicitur, cum Mazaca antea diceretur. hic tertio et vicesimo imperii anno, aetatis septuagesimo octavo* ‖ cum inmani [2] furore insontes, noxios, suos pariter externosque puniret, resolutis militiae artibus Armenia per Parthos Moesia a Dacis Pannonia a Sarmatis Gallia a finitimis gentibus direptae sunt. ‖ ipse *ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.* ‖ huius imperii [3] quinto decimo anno dominus Iesus Christus praedicationis suae sumpsit initium, ‖ octavo quoque et decimo eiusdem anno Iesus Christus filius dei pro nobis sese morti offerens crucifixus est. ‖

Successit Tiberio *C. Caesar cognomento Caligula, Drusi pri-* XII *vigni Augusti et ipsius Tiberii nepos, sceleratissimus et qui etiam Tiberii dedecora purgaverit. bellum contra Germanos suscepit et ingressus Suaviam nihil strenue fecit. stupra sororibus intulit, ex una etiam natam filiam cognovit. cum adversum cunctos ingenti avaritia libidine crudelitate saeviret, interfectus in palatio est anno aetatis suae* XXXIX, *imperii tertio, mense decimo, dieque octavo.*

Post hunc Claudius fuit, patruus Caligulae, Drusi qui apud XIII *Moguntiacum monumentum habet filius, cuius Caligula nepos erat. hic medie imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter et insulse. Britannis intulit bellum, quo nullus Romanorum post C. Caesarem attigerat, eamque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium inlustres et nobiles viros triumphum celebrem egit. quasdam insulas etiam ultra Britannias in Oceano positas im-*

[1] epit 2, 2—5. [2] epit. 2, 9. [3] Hier. 2044, 2047.

1 fuerat. Tiberius ingenti socordia imperium gessit, gravi crudelitate, scelesta auaritia, turpi libidine. nam nusquam *E* ‖ 10 sua *NZ* ‖ 12 cappadociem *NZ* ‖ 13 redigit *NZ* ‖ 14 mazaga *NZ* ‖ 22 dei] dominus noster *add.* *HZ*² ‖ 23 tiberio] ei *E* ‖ 24 et *ante* qui *om.* *HV* ‖ 26 nil *HV* ‖ 29 suae *om.* *NZ* ‖ 31 maguntiacum *NZ* ‖ 33 insulse *HL*, insule *VNZ* ‖ 35 celerem *HV*.

perio Romano addidit, quae appellantur Orchades, filio autem suo Britannici nomen inposuit. tam civilis autem circa quosdam amicos extitit, ut etiam Plautum nobilem virum, qui expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur et conscendenti Capitolium laevus incederet. vixit annos IIII *et* LX, *imperavit* XIIII. *post mortem consecratus est divusque appellatus.*

XIIII *Successit huic Nero, Caligulae avunculo suo simillimus, qui Romanum imperium et deformavit et minuit, inusitatae luxuriae sumptuumque, ut qui exemplo C. Caligulae in calidis et frigidis lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quae blattinis funibus extrahebat. infinitam senatus partem interfecit, bonis omnibus hostis fuit. ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut et saltaret et cantaret in scaena citharoedico habitu vel tragico. parricidia multa commisit fratre uxore matre interfectis. urbem Romam incendit, ut spectaculi eius imaginem cerneret, quale olim Troia capta arserat. in re militari nihil omnino ausus Britanniam paene amisit. nam duo sub eo nobilissima oppida capta illic atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt legionesque Romanas sub iugum miserunt. duae tamen sub eo provinciae factae sunt, Pontus Polemoniacus concedente rege Polemone et Alpes Cottio rege defuncto.*

XV *Per haec Romano urbi execrabilis ab omnibus simul destitutus et a senatu hostis iudicatus; cum quaereretur ad poenam, quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus furca capiti eius inserta virgis usque ad mortem caederetur atque ita praecipitaretur saxo, e palatio fugit et in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariam et Nomentanam viam ad quartum urbis miliarium, interfecit. aedificavit Romae thermas, quae ante Neronianae dictae nunc Alexandrinae appellantur. obiit* XXXI *aetatis anno, imperii* [1] XIIII, *atque in eo omnis Augusti familia consumpta est.* ‖ denique omnibus flagitiis suis etiam hoc addidit, quod sanctos dei apostolos Petrum Paulumque trucidavit. ‖

XVI *Huic Serv. Galba successit antiquissimae nobilitatis senator, cum septuagesimum et tertium annum ageret aetatis, ab Hispanis et Gallis imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. nam privata eius vita insignis fuerat militaribus et civilibus rebus. saepe consul, saepe pro consule, frequenter*

---

[1] Iord. R. 235.

---

1 archades *NZ* ‖ 2 brittanico *NZ* ‖ 3 expetitione *HVN*[1] ‖ 5 leuius *ZL*[1] ‖ 7 galicula *HV* ‖ 9 frigidis et calidis *HVL* ‖ 10 battinis f. trahabat *NZ* ‖ 12 tanto se *HVL* ‖ 13 citharetico *HVL* ‖ 15 olim *om. NZ* ‖ 20 cotti *NZ* ‖ 21 romani *HV*, romanae *N* ‖ urbis *NZ* ‖ destitutus simul *HV* ‖ 23 talis erat *HV* ‖ capite *VNZ* ‖ 26 se interfecit *Z*, *VN e corr.*

dux gravissimis bellis. huius breve imperium et quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. insidiis Othonis occisus est imperii mense septimo. iugulatus in foro Romae sepultusque in hortis suis, qui sunt Aurelia via non longe ab urbe Roma.

L. Otho occiso Galba invasit imperium, materno genere XVII
nobilior quam paterno, neutro tamen obscuro. in privata vita mollis et Neronis familiaris, in imperio documentum sui non potuit ostendere. nam cum isdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus esset a Germanicianis exercitibus imperator, bellum contra eum suscepto cum apud Betriacum in Italia levi proelio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semet occidit petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum bellum civile oriretur. voluntaria morte obiit tricesimo et octavo aetatis anno, nonagesimo et quinto imperii die.

Dein Vitellius imperio potitus est, familia honorata magis XVIII
quam nobili. nam pater eius non admodum clare natus tres tamen ordinarios gesserat consulatus. hic cum multo dedecore imperavit et gravi saevitia notabilis, praecipue ingluvie et voracitate, quippe cum de die saepe quarto vel quinto feratur epulatus. notissima certe cena memoriae mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit, in qua super ceteros sumptus duo milia piscium, septem milia avium adposita traduntur. hic cum Neroni similis esse velit atque id adeo prae se ferret, ut etiam exsequias Neronis, quae humiliter sepultae fuerant, honoraret, a Vespasiani ducibus occisus est interfecto in urbe prius Sabino Vespasiani imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. interfectus autem est magno dedecore: tractus per urbem Romam publice nudus, erecta coma et capite ei subiecto ad mentum gladio stercore involuto et pectus ab omnibus obviis adpetitus, postremo iugulatus et in Tiberim deiectus etiam communi caruit sepultura. periit autem aetatis anno septimo et quinquagesimo, imperii mense octavo et die uno.

Vespasianus huic successit, factus apud Palaestinam impe- XVIIII
rator, princeps obscure quidem natus, sed optimis conparandus,

---

2 insidiis tamen *E* || 10 esset] et *N*, *om.* Z^1 || a *om.* *HV* || 12 batriacum *NZ* || 13 potentibus m. nec tamen c. d. b. speraret *NZ* || 15 ciuili *HV* || orereturd N^1, moueretur *E* || 26 neronis milis (similis *L*) *NZL* || uellet *HVL* || id *om.* *NZ* || 29 imperatoris *om.* *HV* || 32 adpetitur *NZ* || 34 et *om.* *HVL* || 37 quidem obscurae *NZ*.

privata vita inlustris, ut qui a Claudio in Germaniam et deinde in Britanniam missus tricies et bis cum hoste conflixerit, duas validissimas gentes, viginti oppida, insulam Vectam Britanniae proximam imperio Romano adiecerit. Romae se in imperio moderatissime gessit. pecuniae tantum avidior fuit ita, ut eam nullis iniuste auferret. quam cum omni diligentiae provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, praecipue indigentibus. nec facile ante eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas conperta vel iustior. placidissimae lenitatis, ut qui maiestatis quoque contra se reos non facile punierit ultra exilii poenam. sub hoc Iudaea Romano accessit imperio et Hierosolyma, quae fuit urbs nobilissima Palaestinae. Achaiam Lyciam Rhodum Byzantium Samum, quae liberae ante id tempus fuerant, item Thraciam Ciliciam Commaginem, quae sub regibus amicis egerant, in provinciarum formam redegit.

XX *Offensarum et inimicitiarum inmemor fuit, convicia a causidicis et philosophis in se dicta leviter tulit, diligens tamen coercitor disciplinae militaris. hic cum filio Tito de Hierosolymis triumphavit. per haec cum senatui populo, postremo cunctis amabilis ac iocundus esset, profluvio ventris extinctus est in villa propria circa Sabinos annum agens aetatis sexagesimum nonum, imperii nonum et diem septimum atque inter divos relatus est. genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multae contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixit aut filios sibi successuros aut neminem.*

XXI *Huic Titus filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciae humani generis diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. causas Latine egit, poemata et tragoedias Graece conposuit. in oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans duodecim propugnatores duodecim sagittarum ictibus confixit. Romae tantae civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret, convictos adversum se coniurationis dimisit et in eadem familiaritate quam antea habuerit. facilitatis et liberalitatis tantae fuit, ut cum nulli quicquam negaret et ab amicis reprehenderetur, responderit nullum tristem debere ab imperatore discedere, praeterea cum quadam die in cena recordatus fuisset nulli se*

---

2 in *om.* NZ ‖ britanniam] germaniam HV ‖ confluxerit HV ‖ 6 nulli Z ‖ 8 cuiusdam HV ‖ 9 qui *om.* NZ ‖ 14 trachiam HV ‖ commagenem L ‖ 15 redigit NZ ‖ 19 per] post VNZ ‖ 22 nonum] octauum NZ ‖ septimum] octauum HV ‖ 28 ut *post* amor D *e corr.*, Z ‖ 29 fecundissimus NZ ‖ 35 tanquam NZ ‖ ante VNZ ‖ libertatis NZ ‖ 38 recordatus in cena HVL.

illo die quicquam praestitisse, dixerit: amici, hodie diem perdidi. hic Romae amphitheatrum aedificavit et quinque milia ferarum in dedicatione eius occidit. per haec inusitato favore XXII *dilectus morbo periit in ea, qua pater, villa post biennium et menses octo, dies viginti, quam imperator erat factus, aetatis anno altero et quadragesimo. tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tamquam in propria doluerint orbitate. senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato nocte inrupit in curiam et tantas ei mortuo laudes gratiasque congessit, quantas nec vivo umquam egerat nec praesenti. inter divos relatus est.*

Domitianus mox accepit imperium, frater ipsius iunior, XXIII *Neroni aut Caliculae aut Tiberio similior quam patri aut fratri suo. primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingentia vitia progressus libidinis iracundiae crudelitatis avaritiae tantum in se odii concitavit, ut merita et patris et fratris aboleret. interfecit nobilissimos e senatu. dominum se et deum primus appellari iussit. nullam sibi nisi auream aut argenteam statuam in Capitolio passus est poni. consobrinos suos interfecit. superbia quoque in eo execrabilis fuit. expeditiones quattuor habuit, unam adversum Sarmatas, alteram adversum Chattos, duas adversum Dacos. de Dacis Chattisque duplicem triumphum egit, de Sarmatis solam lauream usurpavit. multas tamen calamitates isdem bellis passus est; nam in Sarmatia legio eius cum duce interfecta est et a Dacis Oppius Sabinus consularis et Cornelius Furcus praefectus praetorio cum magnis exercitibus occisi sunt. Romae quoque multa opera fecit, in his Capitolium et Forum transitorium, Divorum Porticus, Isium ac Serapeum et Stadium. verum cum ob scelera universis exosus esse coepisset, interfectus est suorum coniuratione in palatio anno aetatis tricesimo quinto, imperii quinto decimo. funus eius ingenti dedecore per bispelliones exportatum et ignobiliter est sepultum.*

---

2 romane *NZ* ‖ 6 tanto *NZ* ‖ 8 inripuit *N e corr.*, *Z* ‖ 13 affuit *NZ* ‖ 15 odia *HV* ‖ 16 nouissimos *NZ* ‖ 19 expetitiones *HVL*[1] ‖ 20 sarmatas] atas *N*, atis *Z* ‖ 21 de] deo *HV* ‖ 24 et audacis *NZ* ‖ 28 seraum *NZ* ‖ 32 sepultus *HVL*.

LIBER OCTAVVS.

I *Anno octingentesimo et quinquagesimo ab urbe condita Vetere et Valente consulibus res publica ad prosperrimum statum rediit bonis principibus ingenti felicitate commissa; Domitiano enim exitiabili tyranno Nerva successit, ut in privata vita moderatus et strenuus, nobilitatis mediae. qui senex admodum operam dante Petronio Secundo praefecto praetorio, item Paternio interfectore Domitiani imperator est factus. aequissimum se et civilissimum praebuit. rei publicae divina provisione consuluit Traianum adoptando. mortuus est Romae post annum et quattuor menses imperii sui ac dies octo, aetatis septuagesimo et altero anno, atque inter divos relatus est.*

II *Successit ei Ulpius Crinitus Traianus, natus Italicae in Hispania, familia antiqua magis quam clara. nam pater eius primum consul fuit. imperator autem apud Agrippinam in Gallis factus est. rem publicam ita administravit, ut omnibus principibus merito praeferatur, inusitatae civilitatis et fortitudinis. Romani imperii, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum, fines longe lateque diffudit. urbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam Decibalo victo subegit provincia trans Danubium facta in his agris, quos Taifali nunc Victoali et Tervigintі habent. ea provincia decies*
III *centena milia passuum in circuitu tenuit. Armeniam quam occupaverant Parthi recepit Farmatosirie occiso qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Hiberorum regem et Sauromatarum et Bosphoranorum et Arabum et Osdroenorum et Cholchorum in fidem accepit. Carduenos Marcomedos occupavit et Antemusium, magnam Persidis regionem, Seleuciam et Tesiphontem Babylonem Messenios vicit ac tenuit. usque ad Indiae fines et mare rubrum accessit atque ibi tres provincias fecit, Armeniam Assyriam Mesopotamiam, cum his gentibus quae Madenam attin-*

---

13 italiae *NZ* ‖ 17 inusitatem *NZ* ‖ 21 dabium *NZ* ‖ 22 teruingi *L* ‖ 24 sarmatosirie *VNZ* ‖ 26 bosporanorum *HNZ* ‖ 27 corduenos *HV* ‖ 29 mensenios *NZ* ‖ 31 madem contingunt *NZ*.

gunt. Arabiam postea in provinciae formam redegit. in mari rubro classem instituit, ut per eam Indiae fines vastaret.

IIII

Gloriam tamen militarem civilitate et moderatione superavit, Romae et per provincias aequalem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans vel aegrotantes vel cum festos dies habuisset, convivia cum isdem indiscreta vicissim habens, saepe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum laedens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctos, publice privatimque ditans omnes et honoribus augens quos vel mediocri familiaritate cognovisset, orbem terrarum aedificans, multas inmunitates civitatibus tribuens, nihil non tranquillum et placidum agens, adeo ut omni eius aetate unus senator damnatus sit atque is tamen per senatum ignorante Traiano. ob haec per orbem terrarum deo proximus nihil non venerationis meruit et vivus et mortuus.

V

Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium. amicis enim culpantibus, quod nimium circa omnes communis esset, respondit talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatos optasset. post ingentem igitur gloriam belli domique quaesitam e Perside rediens apud Seleuciam Isauriae profluvio ventris extinctus est. obiit autem aetatis anno sexagesimo tertio, mense uno, die quarto, imperii nono decimo, mense sexto, die quinto decimo. inter divos relatus est. solus omnium intra urbem sepultus est; ossa conlata in urnam auream in foro quod aedificavit sub columna posita sunt, cuius altitudo CXL *pedes habet. huius tantum memoriae delatum est, ut usque ad nostram aetatem non aliter in senatu principibus adclametur, nisi 'felicior Augusto, melior Traiano'. adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel adsentantibus vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi praestet exempli.*

VI

Defuncto Traiano Aelius Hadrianus creatus est princeps, sine aliqua quidem voluntate Traiani, sed operam dante Plotina Traiani uxore; nam eum Traianus quamquam consobrinae suae filium vivus noluerat adoptare. natus et ipse Italicae in Hispania. qui Traiani gloriae invidens statim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, id est Syriam et Mesopotamiam Armeniam, revocavit exercitus ac finem imperii esse voluit Euphraten. idem de Dacia facere conantem amici deterruerunt,

---

1 redigit *VNZ* ‖ 2 eas *NZ* ‖ 4 per *om. NZ* ‖ 5 frequentatus *N e corr., Z* ‖ 9 privatique *NZ* ‖ dictans *HV* ‖ uel *om. NZ* ‖ 12 omnis *NZ* ‖ 17 esse *NZ ante corr.* ‖ 19 ingenti *HV* ‖ 20 a *NZ* ‖ 21 anno aetatis *HVL* ‖ 24 conlocata *NZ* ‖ 26 habent *HV* ‖ 36 suriam *NZ* (*semper* sur.).

ne multi cives Romani barbaris traderentur, propterea quia Traianus victa Dacia ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat ad agros et urbes colendas; Daciae enim diuturno bello Decibali res fuerant exhaustae.

VII *Pacem tamen omni imperii sui tempore habuit, semel tantum per praesidem dimicavit. orbem Romanum circumiit. multa aedificavit. facundissimus Latino sermone, Graeco eruditissimus fuit. non magnam clementiae gloriam habuit, diligentissimus tamen circa aerarium et militum disciplinam. obiit in Campania maior sexagenario imperii anno vicesimo primo, mense decimo, die vicesimo. senatus ei tribuere noluit divinos honores, tamen cum successor ipsius T. Aurelius Antonius Fulvius hoc vehementer exigeret et universi senatores palam resisterent, tandem obtinuit.*

VIII *Ergo Hadriano successit M. Antonius Fulvius Boionius, idem etiam Pius nominatus, genere claro sed non admodum vetere, vir insignis et qui merito Numae Pompilio conferatur, ita ut Romulo Traianus aequetur. vixit ingenti honestate privatus, maior in imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari moderata gloria defendere magis provincias quam amplificare studens, viros aequissimos ad administrandam rem publicam quaerens, bonis honorem habens, inprobos sine aliqua acerbitate detestans, regibus amicis venerabilis non minus quam terribilis, adeo ut barbarorum plurimae nationes depositis armis ad eum controversias suas litesque deferrent sententiaeque parerent. hic ante imperium ditissimus opes quidem omnes suas stipendiis militum et circa amicos liberalitatibus minuit, verum aerarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus est. obiit apud Orium villam suam miliario ab urbe duodecimo, vitae anno septuagesimo septimo, imperii vicesimo tertio, atque inter deos relatus est et merito consecratus.*

VIIII *Post hunc imperavit M. Antonius Verus, haud dubie nobilissimus, quippe cum eius origo paterna a Numa Pompilio, materna a Solentino rege penderet, et cum eo L. Annius Antonius Severus. tumque primum Romana res publica duobus aequo iure imperium administrantibus paruit, cum usque ad eum singulos semper habuisset Augustos.*

X *Hi et genere inter se coniuncti fuerunt et adfinitate. nam*

---

4 uires *L* || 16 isdem *HVL* || non *om.* *NZ* || 18 aequaretur *HV* || priuatus] signatus *NZ* || 20 ampliare *NZL* || 22 bonos *HV* || 25 referent *NZ* || 30 xxiii] quarto decimo *NZ* || 31 diuos *NZL* || 32 nouissimus *NZ* || 35 romane *NZ* || rep. *HV* || a duobus *HVL*.

Verus Annius Antonius gener Antonini Pii fuit per uxorem Galeriam Faustinam iuniorem, consobrinam suam. hi bellum contra Parthos gesserunt, qui post victoriam Traiani tum primum rebellaverant. Verus Antoninus ad id profectus est. qui Antiochiae et circa Armeniam agens multa per duces suos et ingentia patravit; Seleuciam Assyriae urbem nobilissimam cum quadringentis milibus hominum cepit; Parthicum triumphum revexit. cum fratre eodemque socero triumphavit. obiit tamen in Venetia, cum a Concordia civitate Maltinum proficisceretur et cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus casu morbi, quem Graeci apoplexin vocant. vir ingenii parum civilis, reverentia tamen fratris nihil umquam atrox ausus. cum obisset undecimo imperii anno, inter deos relatus est.

XI *Post eum Antoninus solus rem publicam tenuit, quem mirari facilius quisquam quam laudare possit. a principio vitae tranquillissimus, adeo ut ab infantia quoque vultum nec ex gaudio nec ex maerore mutaverit. philosophiae deditus Stoicae, ipse etiam non solum vitae moribus, sed etiam eruditione philosophus. tantae admirationis adhuc iuvenis, ut eum successorem paraverit Hadrianus relinquere, adoptato tamen Antonino Pio generum ei idcirco esse voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret.*

XII *Institutus est ad philosophiam per Apollonium Calcedonem, ad scientiam litterarum Graecarum per Chaeronensem Plutarchi nepotem, Latinas autem eum litteras Fronto orator nobilissimus docuit. hic cum omnibus Romae aequo iure egit, ad nullam insolentiam elatus est imperii fastigio, liberalitatis promptissimae. provincias ingenti benignitate moderatione tractavit. contra Germanos eo principe res feliciter gestae sunt. bellum ipse unum gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant; sub hoc enim tantus casus pestilentiae fuit, ut post victoriam Persicam Romae ac per Italiam provinciasque maximas hominum pars, militum omnes fere copiae langore defecerint.*

XIII *Ingenti ergo labore et moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perseverasset, bellum Marcomannicum confecit, quod cum his Quadi Wandali Sarmatae Suevi atque omnis*

1 seuerus *HV* ‖ 4 uerum antonius *NZ* ‖ 7 parthim cum *NZ* ‖ triumpho *HV* ‖ 13 est *om. HVN* ‖ 14 rem publicam solus *HVL* ‖ 15 laudari *HNZ* ‖ 31 quo *VZ* ‖ 37 perseuerassent *NZ* ‖ 38 his quadi] squadi *HV*.

barbaria commoverat, multa milia hominum interfecit, ac Pannoniis servitio liberatis Romae rursus cum Commodo Antonino filio suo, quem iam Caesarem fecerat, triumphavit. ad huius belli sumptum cum aerario exhausto largitiones nullas haberet neque indicere provincialibus aut senatui aliquid vellet, instrumentum regii cultus facta in foro divi Traiani sectione distraxit, vasa aurea, pocula crystallina et murrina, uxoriam ac suam sericam et auream vestem, multa ornamenta gemmarum. ac per duos continuos menses venditio habita est multumque auri redactum. post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt; molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere.

XIIII *Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu quo ipse et ministris similibus exhiberent. in editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur. cum igitur fortunatam rem publicam et virtute et mansuetudine reddidisset, obiit* XVIII *imperii anno, vitae* LXI, *et omnibus certatim adnitentibus inter divos relatus est.*

XV *Huius successor L. Antoninus Commodus nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter et ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. sed uxoria obscenitate depravatus gladiatoriis armis saepissime in ludo, deinceps etiam in amphitheatro cum huiusmodi hominibus dimicavit. obiit morte subita atque adeo, ut strangulatus vel veneno interfectus putetur, cum annis* XII *post patrem et* VIII *mensibus imperasset, tanta exsecratione omnium, ut hostis generis humani etiam mortuus iudicaretur.*

XVI *Huic successit Pertinax grandaevus et qui septuagenariam attigisset aetatem, praefecturam urbi tum agens, ex senatus consulto imperare iussus. octogesimo die imperii praetorianorum militum seditione et Iuliani scelere occisus est.*

XVII *Post eum Salvius Iulianus rem publicam invasit, vir nobilis et iure peritissimus, nepos Salvii Iuliani, qui sub divo Hadriano perpetuum conposuit edictum. victus est a Severo apud Mulvium pontem, interfectus in palatio. vixit mensibus septem, postquam coeperat imperare.*

XVIII *Hinc imperii Romani administrationem Septimius Severus accepit, oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepci.*

---

2 antonio *NZ* ‖ 8 ac] aut *NZ* ‖ 9 continue *NZ* ‖ 18 et] et ab *HV* ‖ 19 l. *om. HNZ* ‖ 25 putaretur *NZ* ‖ 35 est *om. HV* ‖ 36 miluium *HVN*.

solus omni memoria et ante et postea ex Africa imperator fuit. hic primum fisci advocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde et varia officia atque honores usque ad administrationem totius rei publicae venit. Pertinacem se appellari voluit in honore eius Pertinacis, qui a Iuliano fuerat occisus. parcus admodum fuit, natura saevus. bella multa et feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Aegypto et Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit et Arabas interiores et Azabenos; Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret: idcirco Parthicus Arabicus Aiabenicus dictus est. multa toto orbe Romano reparavit. sub eo etiam Glodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano, Caesarem se in Gallia fecit victusque apud Lugdunum et interfectus.

Severus tamen praeter bellicam gloriam etiam civilibus XVIIII
studiis clarus fuit et litteris doctus, philosophiae scientiam ad plenum adeptus. novissimum bellum in Britannia habuit, utque receptas provincias omni securitate muniret, vallum per XXXII passuum milia a mari ad mare deduxit. decessit Tevoraci admodum senex imperii anno sedecimo, mense tertio. divus appellatus est. nam filios duos successores reliquit, Bassianum et Getam, sed Bassiano Antonini nomen a senatu voluit inponi; itaque dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus patrique successit. nam Geta hostis publicus iudicatus confestim periit.

M. igitur Aurelius Antoninus Bassianus idemque Caracalla XX
morum fere paternorum fuit, paulo asperior et minax. opus Romae egregium fecit lavacri, quae Antonianae appellantur, nihil praeterea memorabile. impatientis libidinis, qui novercam suam Iuliam uxorem duxerit. defunctus est in Osdroena apud Edessam moliens adversum Parthos expeditionem anno imperii sexto, mense secundo, vix egressus quadragesimum tertium annum. funere publico elatus est.

Deinde Opilius Macrinus, qui praefectus praetorio erat, cum XXI
filio Diadumeno facti imperatores nihil memorabile ex temporis brevitate gesserunt. nam imperium eorum duum mensuum et unius anni fuit. seditione militari ambo pariter occisi sunt.

Creatus est post hos M. Aurelius Antoninus. hic Antonini XXII

---

1 antea *NZ* ‖ 3 ad *om. NZ* ‖ 4 rei publicae totius *HV* ‖ 8 interiores — Arabas *om. V* ‖ 10 Azabenicus *L* ‖ 11 qui *om. NZ* ‖ 12 se *om. NZ* ‖ 13 et *om. NZ* ‖ 16 nobilissimum (nov. *L*) *NZL* ‖ utque] et quae *NZ*, atque *L* ‖ 17 omne *NZ* ‖ 18 xxii *HV*[1], cxxxii *L* ‖ 25 bassius *NZ* ‖ 27 antoninianae *NZ* ‖ 28 impatientiis *VN* ‖ qui *om. NZ* ‖ 30 expetitionem *HVL* ‖ 33 praetorii *NZ*.

Caracallae filius putabatur, sacerdos autem Heliogabali templi erat. is cum Romam ingenti et militum et senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. inpudicissime et obscenissime vixit, bienni oque post et octo mensibus tumultu interfectus est militari et cum eo mater Suriasera.

XXIII *Successit huic Aurelius Alexander, ab exercitu Caesar, a senatu Augustus nominatus, iuvenis admodum, susceptoque adversus Persas bello Xeren eorum regem gloriosissime vicit. militarem disciplinam severissime rexit; quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. adsessorem habuit vel scrinii magistrum Ulpianum iuris conditorem. Romae quoque favorabilis fuit. periit in Gallia militari tumultu tertio decimo imperii anno et die octavo. in Mamaeam matrem suam unice pius.*

LIBER NONVS.

I *Post hunc Maximinus ex corpore militari primus ad imperium accessit sola militum voluntate, cum nulla senatus intercessisset auctoritas neque ipse senator esset. is bello adversus Germanos feliciter gesto cum a militibus imperator esset appellatus, a Puppieno Aquileia occisus est deserentibus eum militibus suis cum filio adhuc puero, cum quo imperaverat triennio et paucis diebus.*

II *Postea tres simul Augusti fuerunt, Puppienus Balbinus Gordianus, duo superiores obscurissimo genere, Gordianus nobilis, quippe cuius pater senior Gordianus consensu militum, cum proconsulatum Africae gereret, Maximiano imperante princeps fuisset electus. itaque cum Romam venissent, Balbinus et Puppienus in palatio interfecti sunt, soli Gordiano imperium reservatum. Gordianus admodum puer cum Tranquillinam Romae duxisset uxorem, Ianum geminum aperuit et ad Orientem profectus Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. quod quidem mox feliciter gessit proeliisque ingentibus Persas adflixit. rediens haud longe Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit. miles ei tumulum*

---

1 aeliogali *NZ* ‖ 2 hic *HV* ‖ 4 biennio *NZ* ‖ 16 incessisset *NZ* ‖ 24 cum consensu *HV* ‖ 26 uenisset *VL* ‖ 32 a romanis *HVL*.

*vicesimo miliario a Circesso, quod castrum nunc Romanorum
est Euphrate inminens, aedificavit, exsequias Romam revexit,
ipsum divum appellavit.*

Philippi duo filius ac pater Gordiano occiso imperium in- III
*vaserunt atque exercitu incolomi reducto ad Italiam ex Syria
profecti sunt. his imperantibus millesimus annus Romae urbis
ingenti ludorum apparatus spectaculorumque celebratus est. ambo
deinde ab exercitu interfecti sunt, senior Philippus Veronae,
Romae iunior. annis quinque imperaverunt. inter divos tamen
relati sunt.* ex quibus iunior Philippus || adeo severi animi [1]
fuit, ut nullo cuiusquam commento ad ridendum solvi potuerit
patremque ludis saecularibus petulantius cachinnantem vultu
aversato notaverit. ||

Post hos Decius e Pannonia inferiore Bubaliae natus im- IIII
*perium sumpsit. bellum civile, quod in Gallia motum fuerat,
oppressit. filium suum Caesarem fecit. Romae lavacrum aedi-
ficavit. cum biennio imperassent ipse et filius, uterque in bar-
barico interfecti sunt.* e quibus senior || gurgite paludis sub- [2]
mersus est ita ut nec cadaver eius potuerit inveniri; || digno
damnatus iudicio, qui || persecutionem in Christianos movens || [3]
inter ceteros beatissimum levitam et martyrem Laurentium
extinxit.

Mox imperatores creati sunt Gallus Hostilianus et Galli V
*filius Volusianus. sub his Aemilianus in Moesia res novas molitus
est; ad quem opprimendum cum ambo profecti essent, Interamnae
interfecti sunt non completo biennio. nihil omnino clarum ges-
serunt. sola pestilentia et morbis atque aegritudinibus notus
eorum principatus fuit.*

Aemilianus obscurissime natus obscurius imperavit siqui- VI
dem || Maurus fuerat || *ac tertio mense extinctus est.* [4]

Hinc Licinius Valerianus in Raetia et Norico agens ab VII
*exercitu imperator et mox Augustus est factus. Gallienus quo-
que Romae a senatu Caesar est appellatus. horum imperium
Romano nomini perniciosum et paene exitiabile fuit ut vel in-
felicitate principum vel ignavia Germani Ravennam usque*

---

[1] epit. 28, 3. *praeter* fuit v. 11. [2] epit. 29, 3. [3] Hier. 2268. [4] epit. 31, 3.

---

2 reuixit *NZ* || 5 syria] uria *NZ* || 6 urbis Romae *HVL* || 7 spectaculumque *HV* || 12 petulantibus *NZ* || 14 hunc *NZ* || baibaliae *NZ* || 17 in bello barbarico *HV* || 18 sunt senior meruit (sen. m. *om. Goth.*) inter diuos referri mox *E* || 19 ne *NZ*¹ || 35 principium *VNZ*.

venirent. Valerianus in Mesopotamiam bellum gerens a Sapore Persarum rege superatus est, mox etiam captus apud Parthos [1] *ignobili servitute consenuit.* ‖ nam quamdiu vixit, rex eiusdem provinciae incurvato eo pedem cervicibus eius imponens solitus erat equum conscendere. ‖

VIII *Gallienus cum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter mox commode ad ultimum perniciose gessit. nam iuvenis in Gallia et in Illyrico multa strenue fecit occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumpserat, et Trebelliano. diu placidus et quietus mox in omnem lasciviam dissolutus tenendae rei publicae habenas probrosa ignavia et desperatione laxavit: Alamanni vastatis Gallis in Italiam penetraverunt, Dacia quae a Traiano ultra Danuvium fuerat adiecta tum amissa est, Graecia Macedonia Pontus Asia vastata per Gothos, Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est, Germani usque ad Hispanias penetraverunt, Parthi Mesopotamia occupata Syriam sibi coeperant vindicare.*

VIIII *Tam desperatis rebus et deleto paene imperio Romano Postumus in Gallia obscurissime natus purpuram sumpsit et per annos decem ita imperavit, ut consumptas paene provincias ingenti virtute moderatione reparaverit. qui seditione militum interfectus est, quod Magontiacum, qui adversus eum rebellaverat Lolliano res novas moliente, deripiendam militibus tradere noluisset. post eum Marius vilissimus opifex purpuram accepit et secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus, sed cum nimiae libidinis esset et matrimonia aliena corrumperet, Agrippinae occisus est actuario quodam dolum machinante imperii sui anno secundo.*

X *Huic successit Tetricus senator, qui Aquitaniam honore praesidis administrans absens a militibus imperator electus est et apud Burdigalam purpuram sumpsit. seditiones multas militum pertulit. sed dum haec in Gallia geruntur, in Oriente per Odenachum Persae victi sunt. defensa Syria recepta Mesopotamia usque ad Tesiphontem Odenachus penetravit.*

XI *Ita Gallieno rem publicam deserente Romanum imperium*

---

[1] epit. 32, 6.

---

1 uenerunt *H* ‖ ualerius *NZ* ‖ sopore *NZ* ‖ 12 alamannis *HVL* ‖ 19 postumius *NZL* ‖ galliam *NZ* ‖ 23 diripienda (-dam *L*) *VL* ‖ 26 sed] et *NZ* ‖ 28 auctuario *NZ,* octoario *HV* ‖ dolo *HV* ‖ 36 deserentem (defer. *V*) *HVL.*

in Occidente per Postumum, per Odenachum in Oriente servatum est. Gallienus interea Mediolani || fraude Aureoli || ducis [1] sui *cum Valeriano fratre occisus est imperii anno nono, Claudiusque ei successit a militibus electus a senatu appellatus Augustus. hic Gothos Illyricum Macedoniamque vastantes ingenti proelio vicit. parcus vir ac modestus et iusti tenax ac rei publicae gerendae idoneus,* || adversus trecenta milia Alamannorum [2] haud procul a lacu Benaco || in silva, quae Ligana dicitur, [3] || dimicans tantam multitudinem fudit, ut aegre pars dimidia [2] superfuerit. || *qui tamen intra imperii biennium morbo interiit. divus appellatus est. senatus eum ingenti honore decoravit, scilicet ut in curia clipeus ipsi aureus item in Capitolio statua aurea poneretur.*

XII *Quintillius post eum Claudii frater consensu militum imperator electus est, unicae moderationis vir et civilitatis, aequandus fratri vel praeferendus; consensu senatus appellatus Augustus. septimo decimo imperii die occisus est.*

XIII *Post eum Aurelianus suscepit imperium, Dacia Ripensi oriundus, vir in bello potens, animi tamen inmodici et ad crudelitatem propensioris quique Gothos strenuissime vicit.* || haud dissimilis fuit Magno Alexandro seu Caesari dictatori; [4] nam Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit, cum Alexander annis tredecim per victorias ingentes ad Indiam pervenerit et Gaius Caesar decennio subegerit Gallos adversus cives quadriennio congressus; iste in Italia tribus proeliis victor fuit apud Placentiam iuxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunae, postremum Ticinensibus campis. huius tempore apud Dalmatas Septiminus imperator effectus mox a suis obtruncatur. iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit gemmisque et aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus visebatur, usus est. hic muris validioribus urbem saepsit. *templum Soli aedificavit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit.* porcinae carnis usum populo instituit. || *superavit in Gallia Tetricum apud Catalaunos ipso Tetrico prodente exercitum suum, cuius adsiduas seditiones ferre non*

[1] epit. 33, 3. [2] epit. 34, 2. [3] Paul. [4] epit. 35, 2, 3, 5, 6.

1 postumium N^2*ZL* || 2 est *om. NZ* || 4 ei] his *Z*, *ex* hi *N* || 6 uir *om. NZ* || 7 gerendae] tenendae *HV* || 8 uenatico *N*, ueuenatico *Z* || ligna *NZ* || 10 in morbo interiit adiuus (adibus *N*) *NZ* || 20 uicit. Romanam dicionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate revocauit. superauit *E* || 31 *post* ualidioribus: et latioribus *add. L*, et laxioribus *add. NZ* || 34 treticum *NZ* || tretico *NZ*.

poterat. quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia versu Virgiliano uteretur: eripe me [1] *his invicte malis.* ‖ quem Claudius correctorem Lucaniae provexit aspergens hominem eleganti ioco, sublimius habendum regere aliquam Italiae partem quam trans Alpes regnare. ‖ *Zenobiam quoque occiso Odenatho marito, qui Orientem tenebat, haud longe ab Antiochia sine gravi proelio cepit ingressusque Romam nobilem triumphum quasi receptor Orientis Occidentis-* XIIII *que egit praecedentibus currum Tetrico et Zenobia. hoc imperante etiam in urbe monetarii rebellaverunt vitiatis pecuniis et Felicissimo rationali interfecto, quos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit. plurimos nobiles capite damnavit. saevus et sanguinarius ac necessarius magis in quibusdam quam in nullo amabilis imperator. trux omni tempore, etiam filii sororis interfector, disciplinae tamen militaris et morum dissolutorum magna ex parte corrector.*

XV *Provinciam Daciam, quam Traianus ultra Danuvium fecerat, intermisit vastata omni Illyrico et Moesia desperans eam posse retineri abductosque Romanos ex urbibus et agris Daciae in media Moesia collocavit appellavitque eam Daciam, quae nunc duas Moesias dividit et est dextera Danuvio in mare fluenti, cum antea fuerit in laeva. occiditur servi sui fraude, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius nomina pertulit adnotata falso manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipsos pararet occidere; itaque ut praeveniretur, ab hisdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolim et Heracliam est stratae veteris; locus Caenophrurium appellatur. mors tamen* [2] *eius inulta non fuit. meruit quoque inter divos referri.* ‖ imperavit annos quinque menses sex. ‖

XVI *Tacitus post hunc suscepit imperium, vir egregie moratus et rei publicae gerendae idoneus. nihil tamen potuit ostendere intra sextum mensem imperii morte praeventus. Florianus, qui*

---

[1] epit. 35, 7. [2] epit. 35, 1.

---

1 quin] cum *NZ* ‖ 2 uergiliano *NZ* ‖ 5 regnaret *VNZ* ‖ 6 zinouia (-am *N*) *NZ* ‖ maritum *HV* ‖ 7 cepit] uicit *HV* ‖ 9 teatricum (theatr. *Z*) et zinoba *NZ* ‖ Zenobia qui quidem Tetricus corrector Lucaniae postea fuit ac priuatus diutissime uixit, Zenobia autem posteros qui adhuc manent Romae reliquit. hoc *E* ‖ 16 corrector. urbem Romam muris firmioribus cinxit. templum Soli aedificauit, in quo infinitum auri gemmarumque constituit. (templum — constituit *supra legitur p. 77, 32.*) prouinciam *E* ‖ 19 abductosque] adhucque *N*, adducque *Z*[1] ‖ 20 quem *NZ* ‖ 21 danubi (-bii *Z*) *NZ* ‖ 22 ante *NZ* ‖ inserui *NZ* ‖ 24 tamqui *HV* ‖ 26 Heriaclim *NZ*.

Tacito successerat, duobus mensibus et diebus xx in imperio fuit neque quicquam dignum memoria egit.

XVII *Post hunc Probus, vir inlustris gloria militari, ad administrationem rei publicae accessit. Gallias a barbaris occupatas ingenti proeliorum felicitate restituit, quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturninum in Oriente, Proculum et Bonosum Agrippinae, certaminibus oppressit. vineas Gallos et Pannonios habere permisit, opere militari Almam montem apud Sirmium et Aureum apud Moesiam superiorem vineis conseruit et provincialibus colendos dedit. hic cum bella innumera gessisset, pace parata dixit brevi milites necessarios non futuros. vir acer strenuus iustus et qui Aurelianum aequaret gloria militari, morum autem civilitate superaret. interfectus tamen est Sirmio tumultu militari in turri ferrata.* || imperavit annos [1] sex || menses quattuor. || [2]

XVIII *Post hunc Carus est factus Augustus, Narbone natus in Gallia. is confestim Carinum et Numerianum filios Caesares fecit,* || cum quibus regnavit annis duobus || [2] *sed dum bellum adversus Sarmatas gerit, nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus res contra Persas nobiles gessit; ipsos proelio fudit, Sohenem et Tesifontem urbes notissimas cepit. et cum castra super Tigridem haberet, vi divini fulminis periit. Numerianus quoque filius eius, quem secum Caesarem ad Persas duxerat, adolescens egregiae indolis, cum oculorum dolore correptus in lecticula veheretur, inpulsore Apro, qui socer eius erat, per insidias occisus est. et cum dolo occultaretur ipsius mors, quousque Aper invadere possit imperium, foetore cadaveris prodita est; milites enim, qui eum sequebantur, putore commoti deductis lecticulae palleis post aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt.* XVIIII *interea Carinus, quem Caesarem ad Parthos proficiscens Carus in Illyrico Gallia Italia reliquerat, omnibus se sceleribus inquinavit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit, condiscipulis quoque qui eum in auditorio verbi fatigatione taxaverunt perniciosus fuit; atque omnibus honoribus invisus non multo post poenas dedit. nam de Perside victor exercitus rediens cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Caesarem insidiis per-*

---

[1] epit. 37, 1. [2] Or. 523.

---

2 quicquam *om.* *NZ*[1] || 6 saturnium (-num *Z*) *NZ* || 8 pannonias *HV* || 10 colendas *N*[2]Z || 14 firmio *NZ* || 22 ui] ictu *N* (ic *in ras.*), *Z* || 26 occultaretur] optaretur *NZ* || 27 aper] per *NZ*[1] || 35 multa (-as *V*) *HV* || 36 poenam *NZ* || 37 perdidissent *NZ*.

didisset, Dioclitianum imperatorem creavit Dalmatia oriundum, virum obscurissime natum, adeo ut a plerisque scribae filius, a nunnullis Anuli senatoris libertinus fuisse credatur.

XX *Is primum militi in contione iuravit Numerianum nullo suo dolo interfectum, et cum iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocletiani percussus est gladio. postea Carinum omnium odio et decertatione viventem apud Margum ingenti proelio vicit, proditum a se exercitu suo, quem fortiorem habebat, certe desertum, inter Viminacium atque Aureum montem. ita rerum Romanorum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent et factioni suae Bacaudarum nomen inponerent, duces autem haberent Amandum et Aelianum, ad subigendos eos Maximianum Herculium Caesarem misit, qui levibus proeliis agreste domuit et* XXI *partem Galliae reformavit. per haec tempora etiam Carausius, qui vilissime natus serenae militiae ordinem famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam per tractum Bellicae et Armorici pacandum marce accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe captis nec praeda integra aut provincialibus reddita aut imperatoribus missa cum suspicio esse coepisset consulto ab eo admitti barbaros, ut transeuntes cum praeda exciperet atque hac se occasione ditaret, a Maximiano iussus occidi purpuram sumpsit et Britannias occupavit.*

XXII *Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatae essent, Carausius in Britanniis rebellaret, Achilleus in Aegypto, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret, Dioclitianus Maximianum Herculium ex Caesare fecit Augustum, Constantium et Maximianum Caesares, quorum Constantius per filiam nepos Claudii traditur, Maximianum Galerium etiam adfinitate coniungeret, Constantius privignam Herculi Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit, Galerius filiam Dioclitiani Valeriam, ambo uxores habuerant repudiare conpulsi. cum Carausio tamen, cum bella frustra temptata essent contra virum rei militaris peritissimum, ad postremum pax convenit. eum post septennium Adlectus socius eius occidit, atque ipse post eum Britannias triennio tenuit. qui ductu Asclepiodoti praefecti praetorio oppressus est.* XXIII *ita Britanniae decimo anno receptae. per idem tempus a Con-*

4 militibus *Z* (*post* cont.), N^2 ‖ contentione *NZ* ‖ 7 decretatione *N*, detractatione *Z* ‖ 12 suae bacaudarum] seuacaudarum *HV* ‖ 14 agrestes *ZL* ‖ 16 ordinem *HNZ* ‖ 17 boniam N^1Z ‖ 22 se *om.* *NZ* ‖ 24 cum *om.* *HV* ‖ 26 quinquegentiam *NZ* ‖ 28 maximimum N^2Z^1 ‖ 37 ducatu *NZ*.

stantio Caesare in Gallia bene pugnatum est. circa Lingonas die una adversam et secundam fortunam expertus est. nam cum repente barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus tam praecipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis adventante exercitu sexaginta fere milia Alamannorum cecidit. Maximianus quoque Augustus bellum in Africa profligavit domitis Quinquegentianis et ad pacem redactis. Dioclitianus obsessum Alexandriae Achilleum octavo fere mense superavit eumque interfecit. victoria acerbe usus est; totam Aegyptum gravibus proscriptionibus caedibusque foedavit. ea tamen occasione ordinavit provide multa et disposuit, quae ad nostram aetatem manent. Galerius Maximianus XXIIII primum adversus Narseum proelium insecundum habuit inter Callinicum Carrasque congressus, cum inconsulte magis quam ignave dimicasset; admodum enim parva manu cum copiosissimo hoste commisit. pulsus igitur et ad Dioclitianum profectus cum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia a Dioclitiano fertur exceptus, ut per aliquot passuum milia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurrisse; mox tamen per Illyricum XXV Moesiamque contractis copiis rursus cum Narseo Hormisdae et Saporis avo in Armenia maiore pugnavit successu ingenti nec minore consilio, simul fortitudine, quippe qui etiam speculatoris munus cum altero aut tertio equite susceperit. pulso Narseo castra eius diripuit, uxores sorores liberos cepit infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem gazam Persicam copiosissimam. ipsum in ultimi regni solitudines egit. quare ad Dioclitianum in Mesopotamiam cum praesidiis tamen morantem ovans regressus ingenti honore susceptus est. varia deinceps et simul et viritim bella gesserunt Carpis et Basternis subactis, Sarmatis victis, quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.

Dioclitianus moratus callide fuit, sagax praeterea et ad- XXVI modum subtilis ingenio et qui severitatem suam aliena invidia vellet explere. diligentissimus tamen et sollertissimus princeps, etsi imperio Romano primus regiae consuetudinis formam magis quam Romanae libertatis invexerat, adorarique se iussit, cum ante eum cuncti salutarentur. ornamenta gemmarum vestibus calciamentisque indidit. nam prius imperii insigne in clamide purpurea tantum erat, reliquaque communia.

3 cum *om.* ΛZ^1 || inruentibus ΛZ || 5 aduersante (-tante *V*) *HV* || 8 ad *om.* ΛZ^1 || 23 manus ΛZ || 26 ipsi in ultimum ΛZ || 29 et simul uiritim ΛZ || 35 regi et ΛZ.

XXVII *Herculius autem propalam ferus et incivilis ingenii asperitatem suam etiam vultus horrore significans. hic naturae suae indulgens Dioclitiano in omnibus et saevioribus consiliis obsecutus. cum tamen ingravescente aevo parum se idoneum Dioclitianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in vitam privatam concederent et stationem tuendae rei publicae viridioribus iunioribusque mandarent; cui aegre collega obtemperavit. tamen uterque uno die privato habitu imperii insigne mutavit, Nicomediae Dioclitianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclitum, quem Romae ex numerosis gentibus pompa ferculorum inlustri, qua Narsei coniuges sororesque et liberi ante currum ducti sunt. concesserunt ta-*
XXVIII *men Salonam unus, alter in Licaonia. Dioclitianus privatus in villa, quae haud procul a Salonis est, praeclaro otio senuit.* ‖
[1] qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tamquam pestem aliquam detestans in hunc modum respondit: 'utinam Salonae possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto numquam istud temptandum iudicaretis'. vixit annos sexaginta octo, ex quibus communi habitu prope novem egit. morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem voluntariam; cum a Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum per senectam, quominus interesse valeret, excusavisset, rescriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse ac Maximino favere, suspectans necem dedecorosam venenum dicitur hausisse ‖ *inusitata virtute usus, ut solus omnium post conditum Romanum imperium ex tanto fastigio sponte ad privatae vitae statum civilitatemque remearet; contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut, cum privatus obisset, inter divos tamen referretur.*

---

[1] epit. 39, 6, 7.

---

6 concessaerent *N* (*ex* concerent), Z^1 ‖ tuendae *om.* NZ^1 ‖ 9 nicomedae *NZ* ‖ 11 gentibus egerant *E* ‖ 19 ex] et *NZ*, e *L* ‖ 21 constantio *HVL* ‖ 22 sectam *NZ* ‖ 24 increpabantur HV^1L, increpatur *NZ* ‖ maximiano *NZ* ‖ 28 eo *HV* ‖ 29 referreretur N^2Z.

LIBER DECIMVS.

I *His igitur abeuntibus administrationem rei publicae Constantius et Galerius Augusti creati sunt divisusque inter eos ita Romanus orbis, ut Gallias Italiam Africam Constantius, Illyricum Asiam Orientem Galerius obtineret, sumptis duobus Caesaribus. Constantius tamen contentus dignitate Augusti Italiae atque Africae administrandae sollicitudinem recusavit, vir egregius et praestantissimae civilitatis, divitiis provincialium ac privatorum studens, fisci commoda non admodum adfectans dicensque melius publicas opes a privatis haberi quam intra unum claustrum reservari, adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, si amicis numerosioribus esset epulandum, privatorum ei argentum ostiatim petito triclinia sternerentur. hic non modo amabilis sed etiam venerabilis Gallis fuit, praecipue quod Dioclitiani suspectam prudentiam et Maximiani sanguinariam temeritatem imperio eius evaserant. obiit in Britannia Eboraci principatus anno tertio decimo atque inter divos relatus est.*

II *Galerius, vir et probe moratus et egregius re militari, cum Italiam quoque sinente Constantio administrationi suae accessisse sentiret, Caesares duos creavit Maximianum, quem Orienti praefecit, et Severum, cui Italiam dedit. ipse Illyrico commoratus est. verum Constantio mortuo Constantinus ex obscuriore matrimonio eius filius in Britannia creatus est imperator et in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romae interea praetoriani excitato tumultu Maxentium Herculii filium, qui haud procul ab urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupaverunt. quo nuntio Maximianus Herculius ad spem arrectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolavit e Lucania, quam sedem privatus elegerat in agris amoenissimis consenescens, Dioclitianumque etiam per litteras ad-*

4 romanus *om.* *NZ* ‖ 6 dignitatem *HVL* ‖ 10 a *om.* HV^1L ‖ unam NZ^1 ‖ 11 si amicis numerosioribus *om.* *NZ* ‖ 12 argento V^2Z ‖ 14 uenerabilis etiam *HVL* ‖ 16 brittani *HVZ* ‖ 18 uir *om.* *NZ* ‖ et *ante* egregius *om.* *HV* ‖ 20 sentirent HV^1 ‖ duo *NZ* ‖ orientis *HV* ‖ 28 romam euocavit e leucania *NZ*.

hortatus est, ut depositam resumeret potestatem, quas ille inritas habuit. sed adversum motum praetorianorum atque Maxentii Severus Caesar Romam missus a Galerio cum exercitu venit obsidensque urbem militum suorum scelere desertus est. auctae Maxentio opes confirmatumque imperium. Severus fugiens Ra-
III *vennae interfectus est. Herculius tamen Maximianus post haec in contione exercituum filium Maxentium nudare conatus seditionem et convicia militum tulit. inde ad Gallias profectus est dolo composito, tamquam a filio esset expulsus, ut Constantino genero iungeretur, moliens tamen Constantinum repperta occasione interficere, qui in Galliis et militum et provincialium ingenti iam favore regnabat caesis Francis atque Alamannis, captis eorum regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit. detectis igitur insidiis per Faustam filiam, quae dolum viro nuntiaverat, profugit Herculius Massiliaeque oppressus (ex ea enim navigare ad filium praeparabat) poenas dedit iustissimo exitu, vir ad omnem asperitatem saevitiamque proclivis, infidus incommodus civilitatis penitus expers.*

IIII *Per hoc tempus a Galerio Licinius imperator est factus Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine et in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuus laboribus et officiis acceptus. mors Galerium confestim secuta. ita res publica tum a novis quattuor imperatoribus tenebatur, Constantino Maxentio filiis Augustorum, Licinio et Maximino novis hominibus. quinto tamen Constantinus imperii sui anno bellum adversum Maxentium civile commovit, copias eius multis proeliis fudit, ipsum postremo Romae adversum nobiles omnibus exitiis saevientem*
[1] *apud pontem Mulvium vicit Italiaque est potitus.* ‖ Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis auspicio gratissimi partus coepti a puero. ‖ *non multo deinceps in Oriente quoque adversum Licinium Maximinus res novas molitus vicinum exitium fortuita apud Tharsum morte praevenit.*

V *Constantinus tamen, vir ingens et omnia efficere nitens, quae animo praeparasset, simul principatum totius orbis adfectans, Licinio bellum intulit, quamquam necessitudo et ad-*

[1] epit. 40, 13.

2 uotum *HV* ‖ 7 contentione *NZL,* tentione *V* ‖ 9 tamqui *HV* ‖ 10 reparata *NZ* ‖ 11 gallis *NZ* ‖ 12 pauore *HV* ‖ 16 praeparauit *VN* ‖ 17 acerbitatem *VZ* ‖ 19 per *om.* *NZ*[1] ‖ lucinius (-nnius *Z*) *NZ* ‖ 20 quo *NZ* ‖ 22 mors] mox *NZ* ‖ 24 maximiano *NZ* ‖ 25 constanti *NZ*[1] ‖ 29 teneri *NZ* ‖ 30 multa *HV* ‖ 31 maximianus *NZ* ‖ 35 effectans *NZ.*

finitas cum eo esset; nam soror Constantia nupta Licinio erat.
ac primo eum in Pannonia secunda ingenti apparatu bellum
apud Cibalas instruentem repentinus obpressit omnique Dar-
dania Moesia Macedonia potitus numerosas provincias occupavit.
varia deinceps inter eos bella et pax reconciliata ruptaque est. VI
postremo Licinius navali et terrestri proelio victus apud Nico-
mediam se dedit et contra religionem sacramenti Thessalonicae
privatus occisus est. || hic Licinius annum dominationis fere [1]
post quartum decimum vitae proxime sexagesimum occidit,
avaritiae cupidine omnium pessimus neque alienus a luxu
venerio, asper admodum, haud mediocriter inpatiens, infestus
litteris, quas per inscitiam inmodicam virus ac pestem publi-
cam nominabat, praecipue forensem industriam. agraribus
plane ac rusticantibus, quod ab eo genere ortus altusque erat,
satis utilis ac militiae custos, ad veterum instituta severissimus;
spadonum et aulicorum omnium vehemens domitor tineas so-
ricesque palatii eos appellans. || *eo tempore res Romana sub*
uno Augusto et tribus Caesaribus, quod numquam alias, fuit,
cum liberi Constantini Galliae Orienti Italiaeque praeessent.
verum insolentia rerum secundarum aliquantum Constantinus
ex illa favorabilis animi docilitate mutavit. primum necessitu-
dines persecutus egregium virum et sororis filium commodem
indolis iuvenem interfecit, mox uxorem, post numerosos amicos.
vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis VII
conparandus. innumerae in eo animi corporisque virtutes cla-
ruerunt. militaris gloriae adpetentissimus, fortuna in bellis pro-
spera fuit, verum ita ut non superaret industriam. nam etiam
Gothos post civile bellum varie profligavit pace his ad postre-
mum data, ingentemque apud barbaras gentes memoriae gratiam
conlocavit. civilibus artibus et studiis liberalibus deditus, ad-
fectator iusti amoris, quem omnem sibi et liberalitate et docili-
tate quaesivit, sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos
egregius, nihil occasionum praetermittens, quo opulentiores eos
clarioresque praestaret. multas leges rogavit, quasdam ex bono VIII
et aequo, plerasque superfluas, nonnullas severas, primusque

---

[1] epit. 41, 8—10.

---

2 secundo *NZ* || 3 cibalias (ciu- *V*) *HV* || 7 dedidit *HV* || regionem *HNZ* || thessalonicae sacramentum *HV* || 8 domitianis *HV* || 14 ac] a *NZ* || alitusque N^2Z, alatusque *L* || 16 domitor *L*, dormitor *HV*, dominator *NZ* || 21 necessitudine HV^1L || 22 commodae *VZ e corr.* || 26 gloriae ac potentissimus N^2Z || 28 is *NZ* || 31 quam NZ^1 || 32 in *post* ita *om.* NZ^1.

urbem nominis sui ad tantum fastigium evehere molitus est, ut Romae aemulam faceret. bellum adversus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, uno et tricesimo anno imperii, aetatis sexto et sexagesimo, Nicomediam in villa publica obiit. denuntiata mors eius etiam per crinitam stellam, quae inusitatae magnitudinis aliquamdiu fulsit, eam Graeci cometem vocant. atque inter divos meruit referri.

VIIII *Is successores filios tres reliquit atque unum fratris filium. verum Dalmatius Caesar prosperrima indole neque patruo obsimilis haud multo post obpressus est factione militari et Constantio patrueli suo sinente potius quam iubente. Constantinum porro bellum fratri inferentem et apud Aquileiam inconsultius proelium adgressum Constantis duces interemerunt. ita res publica ad duos Augustos redacta. Constantis imperium strenuum aliquamdiu et iustum fuit. mox cum et valitudine inprospera et amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia conversus, cum intolerabilis provincialibus militi iniocundus esset, factione Magnentii occisus est. obiit haud longe ab Hispaniis in castro, cui Helenae nomen est, anno imperii septimo decimo, aetatis tricesimo, per omne tempus sine gravi crudelitate terribilis.*

X *Diversa Constantii fortuna fuit. a Persis enim multa et gravia perpessus saepe captis oppidis obsessis urbibus caesis exercitibus, nullumque ei contra Saporem prosperum proelium fuit, nisi quod apud Singarum haud dubium victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiose et stolide contra rationem belli die iam praecipiti poposcerunt. post Constantis necem Magnentio Italiam Africam Gallias obtinente etiam Illyricum res novas habuit Vetranione ad imperium consensu militum electo. quem grandaevum iam et cunctis amabilem diuturnitate et felicitate militiae ad tuendum Illyricum principem creaverunt, virum probum et morum veterum ac iocundae civilitatis, sed omnium liberalium expertem adeo, ut ne elementa quidem primarum litterarum nisi grandaevus et iam imperator acceperit.*
XI *sed a Constantio, qui ad ultionem fraternae necis bellum civile commoverat, abrogatum est Vetranioni imperium; novo inusi-*

---

1 tantam HV^1 ‖ euehere] heueretemere Z^1, heuertemere *ex* heuertemere *N* ‖ 5 denuntiata *om.* NZ^1 ‖ inusitatem (*sic quoque L*) m. aquandiu (aquamdiu *Z*) NZ^1 ‖ 8 ad *N*, at *Z* ‖ 9 dalmatiis *HV* ‖ 13 interimerunt *NZ* ‖ 14 instrenuum *NZ* ‖ 15 et *ante* mox *NZ* ‖ 17 militibus *HZ* ‖ 25 quo *HV* ‖ singaram *VN* ‖ dubiam V^2Z ‖ 27 die *om.* NZ^1 ‖ 31 malitiae *HV* ‖ 33 liberalium artium *NZL* ‖ 36 uetraianī *Z*, uetraniani *N*.

tatoque more consensu militum deponere insigne compulsus. Romae quoque tumultus fuit Nepotiano Constantini sororis filio per gladiatoriam manum imperium vindicante, qui saevis exordiis dignum exitum nanctus est; vicesimo enim atque octavo die a Magnentianis ducibus obpressus poenas dedit. caput eius pilo per urbem circumlatum est, gravissimaeque proscriptiones et nobilium caedes fuerunt. non multo post Magnentius apud XII *Mursam profligatus acie est ac paene captus. ingentes Romani imperii vires ea dimicatione consumptae sunt, atque libet bella externa idoneae, quae multum triumphorum possent securitatisque conferre. Orienti mox a Constantio Caesar est datus patrui filius Gallus. Magnentiusque diversis proeliis victus vim vitae suae apud Lugdunum attulit imperii anno tertio, mense septimo, frater quoque eius Senonis, quem ad tuendas Gallias Caesarem miserat. per haec tempora etiam a Constantio multis incivili-* XIII *bus gestis Gallus Caesar occisus est, vir natura ferus et ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. Silvanus quoque in Gallia res novas molitus ante diem tricesimum extinctus est, solusque imperio Romano eo tempore Constantius princeps et Augustus fuit.*

Mox Iulianum Caesarem ad Gallias misit, patruelem suum, XIIII *Galli fratrem, tradita ei in matrimonium sorore, cum multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent, ubique foeda vastitas esset Romanumque imperium non dubia iam calamitate nutaret. a quo modicis copiis apud Argentoratum Galliae urbem ingentes Alamannorum copiae extinctae sunt, rex nobilissimus captus, Galliae restitutae. multa postea per eundem Iulianum egregia adversum barbaros gesta sunt summotique ultra Rhenum Germani et finibus suis Romanum imperium restitutum. neque* XV *multo post cum Germaniciani exercitus a Galliarum praesidio tollerentur, consensu militum Iulianus factus Augustus est interiectoque anno ad Illyricum obtinendum profectus Constantio Parthicis proeliis occupato. qui rebus cognitis ad bellum civile conversus in itinere obiit inter Ciliciam Cappadociamque anno imperii octavo et tricesimo, aetatis quinto et quadragesimo meruitque inter divos referri, vir egregiae tranquillitatis, placidus, nimium amicis et familiaribus credens, mox etiam uxoribus deditior, qui tamen primis imperii annis ingenti se modestia egerit, familiarum etiam locupletator neque inhonoros sinens,*

---

2 sorori constantini filii sororis *HV* || 3 gladiatria V^1N^1Z || 4 enim adoptavo d. *NZ* || 22 traditae in *HV* || 34 in *om. NZ* || 38 primus NZ^1 || anni *NZ* || 39 inhonores *NL*, inhonore *Z corr. in.* sine honore.

quorum laboriosa expertus fuisset officia, ad severitatem tum propensior, si suspicio imperii moveretur, mitis alias, et cuius in civilibus magis quam in externis bellis sit laudanda fortuna.

XVI *Hinc Iulianus rerum potitus est ingentique apparatu Parthis intulit bellum, cui expeditioni ego quoque interfui. aliquot oppida et castella Persarum in deditionem accepit vel vi oppugnavit, Assyriamque populatus castra apud Tesifontem stativa aliquamdiu habuit. remeansque victor dum se inconsultus proeliis inserit, hostili manu interfectus est* VI. *Kal. Iul. imperii anno septimo, aetatis altero et tricesimo. atque inter divos relatus est, vir egregius et rem publicam insigniter moderaturus, si per fata licuisset. liberalibus disciplinis adprime eruditus, Graecis doctior atque adeo, ut Latina eruditione quamquam cum Graeca scientia conveniret, facundia ingenti et prompta, memoriae tenacissimae* atque amplissimae, *in quibusdam philosopho proprior. in amicos liberalis sed minus diligens, quantum principem decuit; fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriae eius inferrent. in provinciales iustissimus et tributorum, quatenus fieri posset, repressor. civilis in cunctos, mediocrem habens aerarii curam, gloriae avidus ac per eam animi plerumque inmodici, nimius religionis Christianae insectator, perinde tamen, ut cruore abstineret, M. Antonio non absimilis, quem etiam aemulari studebat.* ||

XVII [1] Iovianus genitus patre Varroniano incola agri Singidonensis provinciae Pannoniae. eius patri, cum liberos crebro amitteret, praeceptum somnio est, eum, qui iam instante uxoris partu edendus foret, diceret Iovianum. hic fuit insignis corpore, laetus ingenio, litterarum studiosus. || *ad obtinendum imperium consensu exercitus lectus est, commendatione patris militibus quam sua notior. qui iam turbatis rebus exercitu quoque inopia laborante uno a Persis atque altero proelio victus pacem cum Sapore necessariam quidem sed ignobilem fecit multatus finibus ac nonnulla imperii Romani parte tradita. quod*

---

[1] epit. 44, 1—3.

---

2 moueri (mouere Z^1) et mitis alia sed c. *NZ* || 5 aliqua (*ex* aliquo *N*) tamen *NZ* || 8 inconsultis *NZ* || 9 VI] ad sexto H^1V || 11 moderatus *NZL* || 12 perlata *HV*, perfecta NZ^1, praefata *L* || elicuisset *N e corr.*, *Z* || 19 oppressor (-orum *V*) *HVZ* || 23 studebat. post hunc Iouianus qui tunc domesticus militabat ad *E* || 24 uernociano *NZ* || 25 inprouinciae *NZ* || crebros *HV* || 27 fore HVL^2 || 29 leuatus *NZ* || 30 militibus *om. NZ* || 32 sopore NZ^1 || multatis *NZ*.

ante eum annis centum et duobus de viginti fere, ex quo Romanum imperium conditum erat, numquam accidit. quin etiam legiones nostrae ita et apud Claudium per Pontium Telesinum et Hispania apud Numantiam et in Numidia sub iugum missae sunt, ut nihil tamen finium traderetur. ea pacis condicio non penitus reprehendenda foret, si foederis necessitatem tum, cum integrum fuit, mutare voluisset, sicut a Romanis omnibus his bellis, quaecunque memoravi, factum est. nam et Samnitibus et Numantinis et Numidis confestim bella inlata sunt neque pax rata fuit. sed dum aemulum imperii veretur, intra Orientem residens gloriae parum consuluit. isque intergressus atque Illyricum petens in Galatiae finibus repentina morte obiit, vir alias neque iners neque imprudens. multi exanimatum opinantur XVIII *nimia crudelitate, inter cenam dum enim nimium epulis indulserat, alii odore cubiculi, quod ex recenti textorio calcis grave quiescentibus erat, quidam nimietate prunarum, quas gravi frigore adoleri multas iusserat. decessit imperii mense septimo, quarto decimo Kal. Mart., aetatis, ut qui plurimum vel minimum tradunt, tertio et tricesimo anno, ac benignitate principum, qui ei successerunt, inter divos relatus est. nam et civilitate proprior et natura admodum liberalis fuit.*

Is status erat Romanae rei Ioviano eodem et Varroniano consulibus anno urbis conditae millesimo centesimo octavo decimo. quia autem ad inclutos principes venerandosque perventum est, interim operi modum dabimus. nam reliqua stilo maiore dicenda sunt. quae nunc non tam praetermittimus, quam ad maiorem scribendi diligentiam reservamus.

---

1 centum decem et duobus fere *NZ* || 2 accidit qui nequitiam legiones (*ex* legionis *N*) *NZ* || et *ante* ita *HV* || 3 telesium *NZ* || 4 munantium (min. *V*) *HV* || missus est NZ^{1} || 5 ea] et a *NZ* || 6 reprehendam NZ^{1} || 11 itergressus *VZ e corr.* || 14 cenan *VN* || 15 dolore N^{2} *ex* lore, *Z* || exterio *NZ* || 16 adolori NZ^{1} || 22 et uarroromano $N^{1}Z$ || 24 qui *NZ* || 25 maiora *HV*.

LIBER VNDECIMVS.

I [1] *Anno ab urbe condita millesimo centesimo octavo decimo*
[2] *Valentinianus tricesimus octavus,* ‖ *e Pannonia Civalensi editus,*
cum esset tribunus scutariorum, apud Niceam Augustus appel-
latus fratrem Valentem Constantinopolim in communionem regni
[3] *adsumpsit.* ‖ *huius pater Gratianus, mediocri stirpe ortus apud*
Cibalas, funarius appellatus est eo, quod venalicium funem por-
tanti quinque milites nequierint extorquere; eo merito adscitus
in militia usque ad praefecturae praetorianae potentiam con-
scendit; ob cuius apud milites commendationem Valentiniano
[4] *imperium resistenti inlatum est.* ‖ *qui cum sub Iuliano Augusto*
Christianitatis integram fidem gereret, cum, ut dictum est, *scuta-*
riorum tribunus esset, iussus ab imperatore sacrilego aut im-
molare idolis aut militia excedere sponte discessit; nec mora
Iuliano interfecto Iovianoque mortuo, qui pro nomine Christi
amiserat tribunatum, in locum persecutoris sui accepit imperium.
qui cum iam anno tertio imperii cum Valente fratre ageret, ‖
[5] *Gratianum filium necdum bene puberem oratu socrus et uxoris*
Augustum creavit. ‖

II [6] *Eodem anno apud Atrebatas vera lana de nubibus pluviae*
[7] *mixta defluxit.* ‖ *Constantinopolim grando mirae magnitudinis*
decidens nonnullos hominum extinxit. his diebus *Procopius*

---

[1] Oros. 548. [2] Hier. 2380. [3] epit. 45, 2, 3. [4] Or. 548. 549. [5] epit. 45, 4. [6] Or. 549. [7] Hier. 2383, 2382 et Or. 548.

---

1 explicit liber decimus hucusque historiam eutropius composuit cui tamen aliqua paulus diaconus addidit incipit liber XI *praemittunt codd. praeter L, MNZ post* addidit *inserunt:* iuuente (*om. NZ*) domna (domina *N²Z*) adelperga christianissima beneuenti ductrice (doctrice *N²Z*) coniuge (conius *N¹*, coniux *Z*) domni arichis (argis *NZ*) sapientissimi et catholici principis deinceps quae secuntur idem paulus ex diuersis auctoribus proprio stilo contexuit ‖ 3 ualentianus *NZ* ‖ cibalensi *HB* ‖ 4 nicheam *NZ* ‖ 7 civalas *VL*, ciuales *NZ* ‖ 9 praetoriae *NZ* ‖ contendit *NZ* ‖ 10 ualentiano *NZ* ‖ 13 immolari *NZ¹* ‖ 15 iouinianoque *MB*, iubinianoque *NZ* ‖ 18 hortatu (ort. *H*) *HMLZ e corr.* ‖ 20 trebatas *NZ*, trebates *M* ‖ 22 his diebus *om. NZ* ‖ procupius *NZ*.

apud Constantinopolim tyrannidem invadens apud Frygiam Salutarem extinctus est plurimique partis eius caesi atque proscripti sunt. circa haec tempora terrae motu per totum orbem facto mare litus egressum est, ut Siciliae multarumque insularum urbes concussae et subrutae innumerabiles populos ruinis oppresserint. ||

Valens interea ab Eodoxio Arrianae haereseos episcopo bapti- III [1]
zatus in saevissimam haeresim dilapsus est conatusque catholicos persequi fratris auctoritate conpressus est. ea tempestate Atharicus rex Gothorum Christianos in gente sua crudelissime persecutus ad coronam martyrii sublimavit.

Valentinianus Saxones gentem in Oceani litoribus et palu- IIII
dibus inviis sitam virtute atque agilitate terribilem Romanis finibus eruptionem meditantem in Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque plus quam octoginta milia armatorum ripae Rheni fluminis insederunt, qui tamen non multo post
tempore Christiani effecti sunt. || Valentinus inter haec in Brit- [2]
tania antequam tyrannidem invaderet, oppressus est. ||

Valentinianus vero anno imperii sui undecimo cum Sar- V [3]
matae sese per Pannonias diffudissent easque vastarent, bellum in eos parans dum apud Brigitionem oppidum || Quadorum legationi responderet, anno aevi quinto et quinquagesimo || subita effusione sanguinis, quae Graece apoplexis vocatur, || voce amissa sensu integer expiravit. quod quidem intemperantia cibi ac se-
curitate, qua artus diffuderat, accedisse plures retulere. || fuit VI [4]
autem imperator egregius, vultu decens, sollers ingenio, animo gravis, moribus Aureliano similis, sermone cultissimus, quamquam esset ad loquendum parcus, severus, vehemens, infestus vitiis maximeque avaritiae. severitatem tamen eius nimiam et parcitatem quidam crudelitatem avaritiam interpretabantur; ||
acer in his, quae memoraturus sum, Hadrianoque proximus pin- [5]

[1] Or. 548—550 et Hier. 2382. [2] Hier. 2387. [3] Or. 550 et epit. 45, 8, 9. [4] Hier. 2381 et epit. 45, 5, 6. [5] epit. 45, 5, 6.

2 partis eius] eius partipes N^1, eius participes N^2Z || caesi] itaque caesi NZ || 3 moto HNZ, motum V^1M || 4 egressus H^1NZ^1 || 9 depressus NZ || aithanaricus HV || 13 inuiis sitam] inuiissimam N, inuiiissimam Z || 15 burdionum NZ || 16 insiderunt NZ || 21 brigionem VNZ || guadorum NZ || 24 intemerantia NZ || 25 accidisse BL^1 || detulere $HVBL$ || 28 infertus H, infe*tus L^1, infectus L^2 || 29 tamen *om.* HB || 30 quadam N, quandam L^1 || et *ante* auaritiam *add.* NZM^2 || 31 memoratus VML || hadrianoque] atrinoque NZ^1.

gere venustissime, meminisse, nova arma meditari, fingere cera seu limo simulacra, prudenter uti locis temporibus sermone atque, ut breviter concludam, si ei foedis hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere aut probatis uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset. ||

VII [1] *Anno ab urbe condita millesimo centesimo vicesimo octavo Valens tricesimus nonus imperium Orientis quattuor annis Valentiniano mortuo tenuit, Gratiano Valentiniani filio in Occidentali parte regnante, qui sibi Valentinianum fratrem parvulum* [2] *admodum socium creavit imperii.* || hic enim *Valentinianus de Iustina secunda Valentiniani uxore natus erat; nam Valentinianus senior dudum laudante uxore sua pulchritudinem Iustinae sibi eam sociavit in matrimonio legesque propter illam concessit, ut omnis, qui voluisset, inpune bina matrimonia susciperet; nam ideo populosas fore gentes, quia hoc apud eas sollemne est. accepta ergo, ut diximus, Valentinianus Iustina edidit ex ipsa quattuor filios Valentinianum,* quem sibi, ut praemisimus, Gratianus sociavit in regno, *et Gratam Iustamque et Gallam.* ||

VIII *Valens igitur impietatem, quam dudum meditatus fuerat,* [3] *operibus explens* || *lege data, ut monachi militarent, nolentes per tribunos et milites fustibus iussit interfici; quorum innumera multitudo per vastas tunc Aegypti solitudines effusa* praecipueque *apud Nitriam* martyrii consecuta est palmam. *ac per singulas ubique provincias adversus catholicas ecclesias et rectae fidei populos* || diversa sunt inlata incommoda.

VIIII [4] *Interea in Africae partibus Firmus sese excitatis Maurorum gentibus regem constituens Africam Mauritaniamque vastavit. contra quem Theodosius Theodosii, qui post imperio praefuit, pater a Valentiniano missus effusas Maurorum gentes multis proeliis fregit, ipsum Firmum afflictum et oppressum ad mortem coegit;* qui *postquam experientissima providentia Africam conposuisset, stimulante invidia iussus* a Valente *interfici apud Carthaginem baptizari in remissionem peccatorum praeoptavit ac demum gloriosa morte occumbens percussori iugulum ultro praebuit.*

---

[1] Or. 550. [2] Iord. R. 238; quem sibi — regno *add. P(aulus).* [3] Or. 551 et Hier. 2391. [4] Or. 550. 551. 552 *praeter* a Valente (*P*).

---

3 quibus *om. NZ* || 4 fidissimus *VNZM* || prudentissimusque *VNZ* || 8 ualentiniano *HV* || 10 etenim *NZ* || 21 fustibus *om.* NZ^1 || 22 diffusa *NZ* || 28 theodosius *om. NZ* || 29 a] ab N^2Z || 30 affictum *NZ* || oppressum] adprehensum *NZ* || 32 iussu *NZ* || a] ab N^2Z.

X *Ea tempestate gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus repentina rabie percita exarsit in Gothos eosque conturbatos ab antiquis sedibus expulit, Gothi transito Danubio fugientes a Valente sine ulla foederis pactione suscepti sunt. deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi ducis fame conpulsi in arma surgentes victo Valentis exercitu sese per Trachias infudere omnia caedibus incendiisque vastantes.* quibus cognitis *Valens Antiochia egressus cum adversus Gothos exercitum aptaret, sera peccati paenitentia stimulatus episcopos ceterosque sanctos revocare de exiliis imperavit.* || *denique lacrimabili cum Gothis* XI [1] *bello commisso* || *ad primum Gothorum impetum perturbatae* [2] *Romanorum equitum turmae nudatos pedes deseruere. qui mox equitatu hostium saepti ac sagittarum nubibus obruti cum amentes metu huc illucque fugitarent, funditus interiere. ipse imperator cum sagitta saucius versusque in fugam* || *ob dolorem nimium* [3] *saepe equo laberetur* || *atque in vilissimam casulam deportatus esset, supervenientibus Gothis ignique supposito concrematus est.* || denique *petentibus Gothis, ut eis episcopos mitteret, a quibus fidei* [4] *rudimenta susciperent, Valens doctores ad eos Arriani dogmatis misit, sicque universa illa gens Arriana effecta est. iusto itaque dei iudicio ab illis igne crematus est, quos ipse perfidiae succenderat igni.* || *Gothi vero imperatore occiso iam securi ad* [5] *urbem properant Constantinopolitanam, ubi tunc Dominica Augusta Valentis uxor multa pecunia plebi largita ab urbis vastatione hostem submovit, regnum cognatis fideliter viriliterque servavit.* ||

Anno ab urbe condita millesimo centesimo tricesimo secundo XII [6] *Gratianus quadragesimus ab Augusto post mortem Valentis sex annis imperium tenuit, quamvis iamdudum ante cum patruo Valente et cum Valentiniano fratre regnaret.* || igitur *Gratianus* [7] *admodum iuvenis cum inaestimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia longe inpari militum numero sese in hostem dedit et continuo apud Argentariam oppidum Galliarum formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit; nam plus quam triginta milia Alamannorum minimo Romanorum detrimento in eo proelio inter-*

---

[1] epit. 46, 2. [2] Or. 553. [3] Hier. 2395. [4] Or. 554. [5] Iord. R. 238. [6] Or. 554. [7] Or. 552.

---

1 seclausa *NZ* || 8 antiochiam *NZ* || 10 reuocari *NZ* || 12 pedes] pedites *VZL*, *NM e corr.* || 14 illuc *NZ* || interire *NZ*¹ || 15 sauciatus *NZ* || 19 arrianis *H*¹*V*¹*M*¹*L* || 29 antea *NZM*² || 31 inextimabilem *NZ*.

XIII *fecta narrantur.* ‖ hoc denique ei recta fidei cultura contribuit;
nam cum usque ad id tempus Italia Arrianae perfidiae morbo
[1] langueret, *post Auxentii seram mortem* cum *Ambrosius* ex pagano iudice subito apud *Mediolanium* divino nutu *episcopus*
a cunctis fuisset electus moxque catholico baptismate tinctus
praesul esset ordinatus cumque pro fide catholica libros Gratiano imperatori porrexisset ac veneratione, qua debuerat, susceptus esset, *universa* statim *ad rectam fidem Italia repedavit.* ‖
[2] eo tempore in Galliis apud Turonos multis beatissimus Mar-
[3] tinus lampabat virtutibus ‖ *totoque orbi doctrinis et scientia clarus apud Bethleem* civitatem Palaestinae situs radiabat *Hieronymus.* ‖
XIIII [4] Porro Gratianus ‖ *cum animadvertisset Traciam Daciamque tamquam genitales terras possidentibus Gothis Taifalisque atque omni pernicie atrocioribus Hunis et Alanis extremum Romano*
[5] *nomini periculum instare,* ‖ *eadem provisione, qua quondam legerat Nerva Hispanum virum Traianum, per quem res publica reparata est, accitum et ipse* nihilominus *aeque ab Hispania Theodosium faventibus cunctis apud Syrmium purpuram induit* aetatis *annum tertium tricesimumque agentem Orientisque et Traciae simul imperio praefecit.* ‖
XV [6] *Itaque Theodosius afflictam rem publicam ira dei reparandam credidit misericordia dei; omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens maximas illas Scythicas gentes formidatasque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi Magno evitatas, at tunc extincto Romano exercitu Romanis equis armisque structissimas, hoc est Alanos Hunos et Gothos, incunctanter adgressus magnis multisque proeliis vicit. urbem Constantinopolim victor intravit et ne parvam ipsam Romani exercitus manum assidue bellando deterreret, foedus cum Athanarico rege Gothorum percussit. Athanaricus Constantinopolim ad Theodosium venit,* ‖
[7] quem ille mira animi iocunditate et affectione suscepit. denique cum urbem Athanaricus intrasset et tam aedificia civitatis quamque exornati quasi ad diem festum populi frequentiam cerneret ac per singula mente inhaereret cumque deinceps

[1] Hier. 2390. [2] *cf.* Prosp. 381. [3] Prosp. 385. [4] epit. 47, 3. [5] Or. 555 et epit. 47, 3. [6] Or. 555. 556. [7] *cf.* Iord. G. 28

1 tribuit *NZM* ‖ 4 mediolanum *NZBM* ‖ 9 gallis *NZM* ‖ 10 orbe N^2*Z* ‖ 15 extremo *NZ* ‖ 16 nomini] omni *HVB*M^1, imperio omni *L* ‖ 21 trachiae *NZM* ‖ 23 omnemque *NZ* ‖ 25 at] ac *NZM* ‖ 28 proeliis] precibus *H*V^1*B* ‖ urbem] ac urbe *NZ* ‖ 30 detereret *B* ‖ gothorum rege N^2*Z* ‖ 31 athanaricus] athanasius autem N^2*Z* ‖ 33 urbe *H*V^1*M* ‖ 34 exornatis *NZ*.

imperatoris regiam ingressus obsequia officiaque diversa conspiceret: 'sine dubio', inquit, 'deus terrenus est imperator, contra quem quicunque manum levare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus existit'. nec mora tamen superveniente valitudine rebus excessit humanis; cuius exequias imperator ipse praecedens dignae eum tradidit sepulturae. at || *universae Gothorum* [1] *gentes rege defuncto aspicientes virtutem benignitatemque Theodosii Romano sese imperio dederunt. in hisdem etiam diebus Parthi ceteraeque barbarae nationes Romano prius nomini inimicae ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos pacemque supplices poposcerunt iunctumque cum eis foedus est.*

XVI *Interea cum Theodosius in Oriente subactis barbarorum gentibus Trachias tandem liberas ab hoste reddidisset et Archadium filium suum consortem fecisset imperii, Maximus vir quidem strenuus et probus atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Brittania invitus ab exercitu imperator creatus in Galliam transiit.* || at vero Gratianus *dum exercitum neglegeret et paucos ex Alanis,* [2] *quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret adeoque barbarorum comitatu et prope amicitia capi, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. Maximus* ergo *ab infensis Gratiano legionibus exceptus eundem* || *subita incursione perterritum atque in Italiam* [3] *transire meditantem dolis circumventum interfecit* aetatis *novem et viginti annos* habentem *fratremque eius Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens a Theodosio paterna pietate susceptus mox etiam imperio restitutus est.* ||

XVII [4] *Fuit autem Gratianus litteris haud mediocriter institutus, carmen facere, ornate loqui, explicare controversias rhetorum more, nihil aliud die noctuque agere quam spiculis meditari summaeque voluptatis divinaeque artis credere destinata ferire, parcus cibi somnique ac libidinis victor, cunctisque esset plenus bonis, si ad cognoscendam reipublicae gerendae scientiam animum intendisset, a qua prope alienus non modo voluntate sed etiam exercitio fuit.* ||

---

[1] Or. 556. [2] epit. 47, 6. 7. [3] Or. 556 et epit. 47, 7. [4] epit. 47, 4, 5.

---

3 manus *NM* || ipsi *H*¹*V* || 6 at] ac *NZ* || 7 benignitatem *NZ* || 10 ultro] ultro se *NZ* || 13 hostes *NZ*¹ || 20 caperetur *B corrigens* || 21 eadem *NZ* || 23 incussione *N*¹, concusione *Z* || 30 ornate] orte *Z*¹, *rte *N*¹, arte *N*² || 31 meditare *N*¹*L* || 36 exercitus *H*¹, exercitu *H*²*V*.

LIBER DVODECIMVS.

I [1] *Anno ab urbe condita millesimo centesimo tricesimo octavo Theodosius, genitus patre Theodosio matre Thermantia, quadragesimus primus* imperatorum, *interfecto per Maximum Gratiano imperium Romani orbis solus obtinuit mansitque in eo annis undecim, cum iam in Orientis partibus sex annis Gratiano vivente regnasset. itaque iustis necessariisque causis ad bellum civile permotus cum e duobus Augustis fratribus unius interfecti ultionem, alterius restitutionem procuraret, sese adversum Maximum tyrannum sola fide maior (nam longe minor universi apparatus bellici conparatione) proripuit. Aquileiae tunc Maximus insederat, Andragathius comes eius summam belli administrabat; qui cum largissimis militum copiis astuto consilio omnes Alpium ac fluminum aditus communisset, dum navali expeditione incautum hostem praevenire parat et obruere, sponte eadem,*
II *quae obstruxerat, claustra deseruit. ita Theodosius nemine sentiente vacuas Alpes intravit atque Aquileiam inprovisus adveniens magnum hostem Maximum ac trucem et ab inmanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis*
[2] *exigentem sine controversia clausit cepit occidit.* || hanc Maximo perditionem beatus Martinus ante praedixit. || *Valentinianus recepto Italiae potitus imperio est; Andragathius comes cognita Maximi nece praecipitem sese e navi in undas dedit ac suffocatus est. Theodosius incruentam victoriam deo procurante suscepit; Victorem* quoque *Maximi filium, quem imperatorem pater Gallis infantili aetate reliquerat, extinxit.*

III *Igitur Valentinianus iunior, cum in Galliam transisset ibique tranquilla re publica in pace ageret, apud Viennam dolo*

---

[1] Or. 557 et epit. 48, 1, 6. [2] Or. 558—560.

---

1 explicit historiae romanae liber XI incipit liber XII *HV*, explicit liber XI incipit liber XII *NZ* incip. lib. XII *B* || 5 romanae *VB* || 8 e *om. NZ* || 12 ministrabat *NZ* || 13 largissimum *N*[1], largissimus *N*[2]*Z* || 20 maximam *N e corr., ZM* || 28 tranquillam *NZM* || rem publicam *ZM*.

Arbogastis comitis sui strangulatus atque, ut voluntariam sibi conscivisse mortem putaretur, laqueo suspensus est; quo extincto Arbogastes tyrannum creavit Eugenium eligens hominem, cui titulum imperatoris inponeret ipse acturus imperium; vir barbarus animo consilio manu audacia potentiaque nimius, contraxit undique innumeras invictasque copias vel Romanorum praesidiis vel auxiliis barbarorum, aliis potestate aliis cognatione subnixus. denique extabat genere Francus cultorque sordidissimus idolorum. igitur *Eugenius atque Arbogastes cum in-* IIII *structa acie Alpium transitus tenerent, Theodosius expers cibi ac somni orationi incumbens totam noctem pervigil exegit; cum* tamen *se esse a suis destitutum sciret, ab hostibus circumsaeptum nesciret, fiducialiter arma corripiens signoque crucis signum proelio dedit ac se in bellum, etiam si nemo sequeretur, victor futurus inmisit;* ‖ *nam consultus Iohannes anachoreta eum* [1] *victurum spoponderat.* ‖ *quem cum Arbitio hostilium partium* [2] *comes ignarum circumpositis excepisset insidiis, conversus* mox *ad reverentiam Augusti* eum *non solum periculo liberavit, verum etiam auxilio instruxit; cumque ad congressionem ventum esset, vehemens turbo ventorum* a parte Theodosii *in ora hostium ruit, qui et ab eius parte spicula missa valenter hosti infigeret et hostili manu missa repelleret. nec mora parva suorum data strage victori se Theodosio hostilis exercitus prostravit. Eugenius captus atque interfectus est; Arbogastes sua se manu percussit. praemiserat* denique prius *Theodosius decem milia* auxiliatorum *Gothorum, quae ab Arbogaste comite funditus deleta sunt; quos utique Theodosio perdidisse magis lucrum quam detrimentum fuit.* ad cuius laudem *ob insignem victoriam poeta quidam eximius sed infidelis inter cetera hos versiculos cecinit: 'o nimium dilecte dei, tibi militat aether et coniurati veniunt ad classica venti'.* ‖

Huic ferunt somnio nomen parentes monitos sacravisse, V [3] *quod in Latinum Adeodatum potest intellegi. de hoc etiam oraculo in Asia divulgatum est eum Valenti successurum, cuius*

---

[1] Prosp. 396. [2] Or. 560, 561 *praeter:* a parte Theodosii, denique prius, auxiliatorum, ad cuius laudem (*P*). [3] epit. 48, 2—5, 1, 8—19.

---

1 comiti *HVM* ‖ strangulatus est *HVB* ‖ 4 aucturus *NZML* ‖ 7 potestatem *NZ* ‖ cognationem *NZ* ‖ 11 peruigilem *VM* ‖ egit *VB*¹ ‖ 18 ex periculo *NZ* ‖ 19 gressionem *HVB* ‖ 20 ruit] fuit *NZ* ‖ 23 uictori se] uictoris et *V*, uictori *NZ* ‖ 28 quidem *H*¹*B* ‖ *Claudian. in III cons. Honor. 96* ‖ 32 somnia *NZ* ‖ agrauisse *N*¹*Z*¹, sagrauisse *N*²*Z*² ‖ 34 deuulgatum *NZ*.

nomen ΘΕΟ atque Δ litteris initiaretur; qua cognitione principii deceptus Theodorus, cum sibi imperium deberi praesumeret, scelestae cupidinis supplicia persolvit. fuit autem Theodosius propagator rei publicae atque defensor eximius; moribus et corpore Traiano similis, quantum scripta veterum et picturae docent, a quo et originem traxit: sic eminens status, membra eadem, par caesaries os absque eo, quod illi aliquantum vellendo steriles genae neque tam ingentes oculi erant; nescio an et tanta gratia tantusque flos in facie seu tanta dignitas in incessu fuisset. mens vero prorsus similis adeo, ut nihil dici queat, quod non ex libris in istum videatur transferri. clemens animus misericors communis solo habitu differre se ceteris putans; in omnes homines honorificus, verum effusius in bonos, simplicia ingenia aeque diligere, erudita mirari sed innoxia, largiri magno animo magna, amare cives vel privato contubernio cognitos eosque honoribus pecunia beneficiis ceteris munerari, praesertim quorum erga se vel patrem aspero casu officia conprobasset. illa tamen, quibus Traianus aspersus est, vinolentiam scilicet et cupidinem triumphandi, usque eo detestatus, ut bella non moverit sed invenerit. ministeria lasciva psaltriasque comessationibus adhiberi lege prohibuit; consobrinarum nuptias tamquam sororum interdixit. litteris mediocriter doctus, sagax plane multumque diligens ad noscenda gesta maiorum; execrabatur, cum legisset superbiam dominantium praecipue perfidos et ingratos; irasci sane rebus indignis, sed subito flecti, unde quoque dilatione modica emolliebantur interdum severa praecepta; habuitque a naturae munere, quod Augustus a philosophiae doctore; qui cum vidisset eum facile commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, ubi irasci coepisset, quattuor atque viginti Graecas litteras memoria recenseret, ut illa concitatio, quae momenti est, mente alio traducta parvi temporis interiectu languesceret. melior haud dubie, quod est rarae virtutis, post auctam annis potentiam regalem auri argentique

---

1 ΘΕΟ at Δ *NZ*, deo atque a *V*, theo atque $\overset{\Delta}{\delta}$ *M* ‖ 4 indefensor *HV* ‖ 5 scriptura *NL* ‖ pictura *HVB* ‖ 7 quantum *HVB* ‖ 8 sterelis *HNZ*^{1}, stereles *L* ‖ 11 transferre *NZ* ‖ 12 se] se a *NZ* ‖ 14 ingenieque *HVM*^{2}, ingeniique *L*, ingeniaque *NZM*^{1}, ingenuaque *B* ‖ 15 magna] magnam *VL*^{2}, *om. B* ‖ 16 munerari] muneri *N*^{1}*Z*^{1}, muneris *N*^{2}, muneribus honorabatur *Z*^{2} ‖ 18 uiolentiam *H*^{1}*Z*^{2}*M*^{1} ‖ 19 adeo *ML* ‖ detestatus (testatus *N*^{1}) est *VNZ* ‖ 20 lasciuia *NZM* ‖ psalteriasque *HZM*^{2}, psalitriasque *M*^{1} ‖ 21 comesationibus *H*^{2}*L* ‖ 22 tamqui *HV*^{1} ‖ 23 ad noscenda] ad noscendam *NL*, agnoscenda *V* ‖ 26 emolliebatur *Z*^{2}*L* ‖ seuera] uera *NZ*^{1} ‖ 27 natura *HV* ‖ 29 aliquod *NM*^{2}, *om. M*^{1} ‖ 31 alia *BL* ‖ 33 auctam] cautam *NZ*^{1}.

pondera sublata a tyrannis multis ex suo restituit. inerat ei
cura pietatis eximiae, *colere patruum tamquam genitorem, fratris
mortui sororisque liberos habere pro suis, cognatos adfinesque
parentis animo conplecti. elegans laetumque convivium dare
nec tamen sumptuosum, miscere colloquia pro personis studio
dignitatibus sermone cum gravitate iocundo, blandus pater, con-
cors maritus. exercebatur neque ad inlecebram neque ad lassi-
tudinem; ambulationibus, cum esset otium, animum reficiens
regebat valitudinem continentia vescendi.* || huius et apud ho- VI
mines mansuetudo et quanta extiterit apud deum devotio, hoc
uno monstratur exemplo: nam cum apud Mediolanium missa-
rum fruiturus sollemniis ecclesiam vellet intrare eumque beatus
Ambrosius pro quodam facinore, nisi publice paeniteret, non
admissurum se diceret, et prohibitionem humiliter pertulit et
satisfactionem non erubescens indictum ab episcopo paeni-
tentiae modum devotus excepit.

Huic sociata in coniugio Flacilla fuit, ex qua Archadium VII [1]
et Honorium genuit; qua defuncta Gallam Valentiniani maioris
et Iustinae filiam Valentiniani quoque iunioris sororem in matri-
monium duxit, quae ei Placidiam peperit, cui postea de matris
nomine Gallae cognomentum accessit.

Itaque || *quinquagesimum* Theodosius *annum agens* aetatis VIII [2]
*in pace apud Mediolanium rebus excessit humanis utramque rem
publicam utrisque filiis Archadio et Honorio quietam relinquens.
corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque se-
pultum est.* ||

Anno ab urbe condita millesimo centesimo quadragesimo VIIII [3]
*nono Archadius Augustus in Oriente, Honorius frater eius in
Occidente quadragesimo secundo loco commune imperium divisis
tantum sedibus tenere coeperunt.* || *quorum pater curam viris* [4]
*potentissimis mandarat habere, id est Rufino Orientalis aulae,
Stiliconi Occidentalis imperii.* || *vixitque Archadius post patris* [3]

---

[1] *fortasse ex Iord. R. 238 praeter:* cui — accessit. [2] epit. 48, 19, 20. [3] Or. 563. [4] Or. 567.

---

1 a *om.* *NZ* || restituere *L*, restitueret *B* || 4 parentis *om.* NZ^1 || 5 misceret NZ^1 || 6 sermonem *BL* || 7 incelebram NZ^1M^1 || 8 odium *NZ* || 9 gerebat *NZ* || uescendo *NZ* || 11 cum *om.* *NZ* || mediolanum *NZ* || 14 amissurum N^1Z || 15 episcopo] eo *NZ* || 17 placilla *ZB*, pla Z^2 *i. ras.*, flaccilla *M* || 18 galliam *NZ ante corr.* || 19 iunioris *om.* NZ^1, *add.* Z^2 *ante* quoque || matrimonio *HVB* || 23 mediolanum *VZM* || 32 uixit itaque *NZ*, uixit quoque *M*.

excessum annis duodecim imperiique summam Theodosio filio parvo admodum moriens tradidit.

X [1] *Interea Gildo comes Africae cognita Theodosii morte arbitratus minimam in parvulis spem fore Africam iuri proprio coepit usurpare. huius frater Mascelzer germani perfidiam perhorrescens in Italiam rediit; Gildo duos eius filios, quos pater reliquerat, dolo circumventos occidit. ad hunc iam hostem bello insequendum Mascelzer frater missus est. Mascelzer iam a Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi clementiam dei impetraret, Caprariam insulam adiit; inde secum sanctos viros abducens, cum quibus orationibus ac ieiuniis dies aliquot continuavit et noctes, ante triduum quoque, quam hosti contiguus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium paulo ante defunctum, quo vel quando victoriam caperet, diem sibi indicantem et locum. ac tertio demum die post noctem orationibus hymnisque pervigilem cum quinque solummodo milibus adversus octoginta milia hostium pergens eos dei nutu sine bello in deditionem accepit; quo viso auxiliarii Gildonis barbari ilico terga dedere; Gildo et ipse fugam arripiens ascensa navi, cum in Africam redisset, post aliquot dies strangulatus interiit. sane idem Mascelzer rerum secundarum insolentia tumens ecclesiam dei temerare ausus est atque ex ea quosdam non dubitavit extrahere; secuta mox poena sacrilegium est, nam post aliquantum temporis ipse punitus est.*

XI *Interea Rufinus, cui a Theodosio Orientalis aulae cura commissa est, malo perfidiae depravatus, cum barbarorum solaciis regnum temptaret invadere, morte iustissima poenas luit. Stilico quoque Occidentis tutor imperii, inmemor conlatorum beneficiorum inmemor adfinitatis (nam socer extabat Honorii) regnum et ipse Eucherio filio affectans ingentia rei publicae intulit mala: nam cum saepe delere posset barbaros, fovit, saepe Alaricum cum Gothis suis vicit, saepe conclusit, semperque dimisit.* ‖ cui quis fuerit exitus, suo melius in loco dicetur.

XII [2] Inter haec ‖ *omnium antiquorum praesentiumque hostium longe inmanissimus Radagaisus* rex Gothorum *totam repentino*

---

[1] Or. 564—566. [2] Or. 567—570 *praeter:* invadit — infinitus (*P*).

---

4 in paruulis] paruuli *NZ* ‖ proprii *V*¹*N*² ‖ 5 mascezer *NZ*, mascerzet *M*¹ ‖ 7 huc *N*¹*M*² ‖ ut hostem *M*²*L* ‖ 8 insequendo *ML* ‖ 11 adducens *NZ* ‖ 15 diem *N*, *ZB ante corr.* ‖ 23 dubitabat *NZ* ‖ poene *H*, poenam *VN*¹ ‖ 29 honori *ZM ante corr.*, honorius *Z*² ‖ 31 saepe cum *NZM* ‖ possit *NZM* ‖ 32 suis *om. HVB.*

inundavit Italiam impetu. nam fuisse in eius populo plus quam ducenta milia Gothorum ferunt. hic supra hanc incredibilem multitudinem indomitamque virtutem barbarus erat et Scytha, qui omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare devoverat. invadit ilico Romam pavor infinitus, *fit omnium paganorum in urbe concursus; adclamatur a cunctis se haec ideo perpeti, quod neglecta fuerint magnorum sacra deorum. magnis querelis ubique agitur et continuo de repetendis sacris celebrandisque tractatur; fervent tota urbe blasphemiae, nomen Christi tamquam lues aliqua probris ingravatur. conducuntur a Romanis adversus Radagaisum duo pagani duces Gothorum Sarus, Uldin Hunorum. sed non sinit deus rem suae potentiae infidelium virtutem videri; conterritus namque divinitus Radagaisus in aspero Faesulani montis iugo urguente undique timore concluditur agminaque, quibus angusta dudum videbatur Italia, latendi spe in unum ac parvum verticem truduntur; quo cum fame et siti conficerentur, rex Radagaisus solus spem fugae sumens captus a Romanis in vincla coicitur ac paulisper retentus vita privatur. tanta vero multitudo captivorum Gothorum fuisse fertur, ut vilissimorum pecudum modo singulis aureis passim greges hominum venderentur.* ||

XIII [1] Interea Alaricus Italiam ingressus cum ab Honorio sedes, quo cum suo exercitu consistere possit, expeteret, Honorius deliberato consilio ei Gallias concessit; qui dum ad Galliam pergens ob recuperationem iumentorum apud Pollentiam aliquantulum resedisset, Stilico comes in perniciem rei publicae Gothos pertemptans, dum eos insidiis adgredi cuperet, || *belli* [2] *summam Sauli pagano duci commisit.* qui *ipso sacratissimo die Paschae* || Gothis nil tale suspicantibus super eos inruit magnamque eorum partem prostravit, nam primum perturbati Gothi ac || *propter religionem* || cedentes demum arma corri- [2] piunt; more se solito cohortantur victoremque virtute potiori prosternunt exercitum. hinc in rabiem furoris excitati coeptum iter deserentes Romam contendunt petere, cuncta, per quae ierant, igni ferroque vastantes. nec mora venientes urbem

---

[1] *cf.* Iord. G. 29, 30. [2] Or. 567.

---

1 inuadit *NZ* || 4 propinna NZ^{1} || 6 a] ut NZ^{1}, sed *M* || 9 tota] tanta NZ^{1} || 12 suae] siue *NZ* || 13 uirtute *HVBZM* || 15 uidebantur NZ^{1} || 16 traduntur *NZ* || 20 pecodum $N^{2}ZML$ || 21 passim] passum *H*, passuum V^{1} || 25 pullentiam *HVB*, polentiam *NZ* || 26 residet N^{1}, residisset $N^{2}Z$ || 33 excitat HV^{1}, excitatus V^{2}, excitantur M^{1} || 34 qua *HV*.

[1] capiunt devastant incendunt ‖ *dato tamen prius praecepto, ut siqui in sancta loca praecipueque sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inviolatos securosque esse sinerent, deinde in quantum possint praedae inhiantes* [2] *a sanguine temperarent.* ‖ *capta itaque Roma est anno millesimo* [3] *centesimo sexagensimo quarto conditionis suae.* ‖ *die* sane *tertia sponte Gothi urbe discedunt facto aliquantarum aedium incendio, sed ne tanto quidem, quantum* olim a Caesare *factum est.* ‖

XIIII [4] deinde per Campaniam Lucaniam Britiamque simili strage bacchantes Regium pervenere in Siciliam transfretare cupientes. quo cum transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium plures suorum amisere. Alaricus inter haec dum, quid ageret, deliberaret, apud Consentiam subita morte defunctus est. Gothi Basentum amnem de alveo suo captivorum labore derivantes Alaricum in medio eius alveo cum multis opibus sepeliunt amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum scire possit, captivos, qui interfuerant, extingunt.

XV Regem deinceps Athaulfum Alarici adfinem Gothi constituentes Romam redeunt: siquid residui fuit, more locusta- [2] rum eradunt auferentes exinde Gallam ‖ *Placidiam Theodosii principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Athaulfus* apud Forum Cornelii *coniugio sociavit. quae multo post rei publicae* [5] *commodo fuit.* ‖ *nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibus blandimentis inflexit, ut ultro a Romanis pacem ex-* [6] [5] *peteret.* ‖ qui *ad Gallias proficiscens* dein ‖ *apud Barcilonem fraude suorum occisus est. post quem Segericus regnum capiens, dum pacem Romanis servare disponit, et ipse a suis peremptus est. deinde Wallia regnandi iura suscepit ad hoc electus a Gothis, ut pacem infringeret, ad hoc a deo ordinatus, ut confirmaret.* ‖

XVI [7] *Interea comes Stilico Wandalorum perfidae et dolosae gentis genere editus, Eucherium,* ut dictum est, *filium iam a puero Christianorum persecutionem meditantem, ut in imperio sub-*

[1] Or. 573. [2] Or. 576 *praeter:* apud Forum Cornelii. [3] Or. 575 *praeter:* olim a Caesare (*P*). [4] *cf.* Iord. G. 30, 31. [5] Or. 585. [6] Prosp. 412. [7] Or. 571.

2 siquis *ML* ‖ apostolorum *om. HVB* ‖ 4 sinirent *HM*¹*L*¹, esse sinerent *B* ‖ inhientes *NZ* ‖ 7 facta *NZ*¹ ‖ incendium *N*, incendia *Z*¹ ‖ 8 tantum *NZ* ‖ 9 brittaniamque *M*¹*B*¹ ‖ 10 peruenire *VN*¹*Z*¹ ‖ 11 quo] quae *N*, qui *Z*, quam *B* ‖ 14 annem *NZ*, amnen *M* ‖ 15 diriuantes *NZ* ‖ 16 meatu *NZ* ‖ 19 siqui *NZ*¹ ‖ lucustarum *H* ‖ 23 animo *NZ*¹ ‖ 25 deinde *V*²*ZM* ‖ barcillonam *V*, barchillonam *Z*, barchilonam *N*, barchillonem *M* ‖ 26 cupiens *NZ* ‖ 28 iure *NZ*¹ ‖ 32 a *om. HVBM* ‖ 33 in *om. NZ.*

stitueret, ‖ *ante biennium Romanae inruptionis* ‖ *gentes copiis* [1] [2] *viribusque intolerabiles, hoc est Alanorum Suevorum Wandalorum Burgundionum, ultro in arma suscitavit easque pulsare Gallias voluit, ut sub hac necessitate a genero in filium extorquere imperium possit. tandem ubi imperatori Honorio exercituique Romano haec tam ingentia damna patefacta sunt, commoto iustissime exercitu occisus est Stilico, qui ut unum puerum purpuram indueret, totius generis humani sanguinem dedidit. occisus Eucherius eius filius paucique cum isdem satellites tantarum molitionum puniti sunt.* ‖ *eodem tempore clarissima urbis* [3] *loca fulminibus diruta sunt, quae inflammari ab hostibus nequiverunt.* ‖

Inter haec ‖ *apud Brittanias Gratianus tyrannus mox crea-* XVII [4] *tur occiditur. huius in loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur. qui ad Gallias transiens saepe a barbaris incerto foedere inlusus detrimento rei publicae magis fuit* quam augmento. *tunc duo iuvenes locupletes Didymus et Viridianus, adsumptis propriis servulis ac vernaculis sese patriamque a barbaris et tyranno defensare moliti sunt. adversus hos Constantinus Constantem filium ex monacho Caesarem factum cum quibusdam foederatis barbaris in Hispanias misit. Constans barbarorum fultus auxilio eos primo proelio peremit. quibus barbaris dum claustra Pyrinaei montis commissa fuissent, ab eis tota illa, quae per Gallias bacchabatur, ferocitas gentium Hispaniarum provinciis intromissa est. itaque post multas strages incendia et rapinas tandem divisis sedibus barbari ad aratra conversi Romanorum residuos coeperunt ut socios amicosque fovere.* ‖

---

[1] Or. 576. [2] Or. 571, 572. [3] Or. 575. [4] Or. 576—579 *praeter:* quam augmento (*P*).

---

2 uiribusque copiis *HVL*, uiribus copiisque *B* ‖ 3 burdionum *NZ*^{1} ‖ ultra *HV* ‖ 5 ubi *om. NZ*^{1}*B*^{1} ‖ exercituque *NZ* ‖ 7 exercitum *BV*^{1}, exitu *M*^{1} ‖ 8 dedit *NZML* ‖ 9 pauci *NZ* ‖ hisdem *NZBL* ‖ 13 creatus *N* (*ex* cretur) *ZMBL*, creatur et *Orosius* ‖ 16 foedere] nedere *NZ*^{1} ‖ 17 magis rei publicae *NZM* ‖ 18 didimius *HV* ‖ 23 quibus] qui *HV* ‖ pirenei *BL* ‖ 24 commissa] commota *NZ* ‖ 28 fouerent *N*^{1}*Z*^{1}.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

I [1] Igitur ‖ *imperator Honorius, dum vires rei publicae cotidianis cerneret labefactari incommodis,* virum strenuum et bellicosum *Constantium comitem ad Gallias cum exercitu mittit. is mox Galliam ingressus est,* continuo *Constantinum tyrannum apud Arelatem extinxit, Constans vero filius eius a Gerontio suo comite Viennae peremptus est. in cuius locum Gerontius Maximum quendam substituens ipse a suis militibus iugulatus est. Maximus deinde purpura exutus in Hispania exulans egens obiit. exinde Iovinus apud Gallias, mox adsurrexit, cecidit. Sebastianus tyrannus frater eius continuo creatus occisus est. Tertullus consul, qui se futurum principem in senatu gloriatus est, pari nihilo minus exitu periit. Attalus a Gothis imperator effectus,* postmodum *captus a Constantio missusque Honorio truncata manu vitae relictus est. Heraclianus* quoque *cum Sabino genero cum tribus milibus ac septingentis navibus ex Africa Romam tendens occursu comitis Marini territus et in fugam versus arrepta navi solus Carthaginem rediit ibique peremptus est. hos omnes Honorius optima religione magnaque Constantii industria superavit, merito sane, nam his diebus praecipiente Honorio favente Constantio sopitis apud Africam haereticis pax*
[2] *ecclesiis redditur.* ‖ in qua fulgentissimus tunc apud Ipponiregium totiusque magister ecclesiae florebat Augustinus.

II [3] Interea ‖ *Wallia Gothorum rex dei iudicio territus Placidiam apud se honeste habitam* exigente Constantio *fratri Honorio reddidit pacemque cum eo datis lectissimis obsidibus pepigit*

---

[1] Or. 581—583; *cf.* Iord. G. 32. [2] *cf.* Prosp. 395. [3] Or. 585, 586 *praeter:* in his verbis (*P*). *cf.* Iord. R. 238.

---

1 expl. historiae romanae lib. XII incipit liber XIII *H*, explicit liber XII incipit liber XIII *VNZ*, incipit liber XIII *B* ‖ 5 gallias *NZL*, gallia *HV* ‖ introgressus *NZML* ‖ 6 eius filius *NZM* ‖ 12 tertellus *NZ* ‖ futurum *om.* NZ^1 ‖ 13 par NZ^1 ‖ 14 postmodum *om. L*, postremum *NZ*, et postmodum *NZ post corr.* ‖ 17 occursum NZ^1M^1 ‖ et *om. NZ* ‖ 22 ecclesiae *NML* ‖ 23 regium] regnum *NZ*.

seque pro Romanis adversus barbaros, qui Hispanias invaserant, pugnaturum spopondit. mittunt e contrario *Wandalorum Alanorum Suevorumque reges principi Honorio legationem* in his verbis: *'tu cum omnibus pacem habe, omnium obsides accipe. nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus, tuae erit quaestus rei publicae, si utrique pereamus'.* ‖

His ita tantis incommodis deo favente sopitis Honorius III [1] Gallam Placidiam germanam suam Constantio suo comiti fide integerrimo et ingenti viro iam dudum promissam magno cunctorum gaudio sociavit, ex qua Valentinianum filium Constantius genuit, qui postea rei publicae imperium gessit. hoc in tempore *foedus* firmissimum cum rege Gothorum *Wallia* [2] *Constantius pepigit tribuens ei ad habitandum Aquitaniam* Galliae provinciam *eiusdemque provinciae quasdam civitates vicinas.* cernens itaque Honorius ubique se Constantii virtute et ingenio seu per bella seu pacis moderatione tueri, eum cunctis adnitentibus apud Ravennam *in regni consortium adscivit,* qui [3] necdum septem mensibus evolutis ex hac luce subtractus est.

His diebus *apud Bethleem Palaestinae* beatissimus *Hieronymus* IIII *expletis nonaginta uno vitae annis ad Christum migravit.*

Sequenti tempore Maximus apud Hispanias factione Ioviani, V [4] qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidem arripuit. nec multo post superati utrique et capti ab Honorii exercitu eidem, cum apud Ravennam tricennalia sua perageret, praesentantur.

Hac tempestate *Brittani Scottorum Pictorumque infestationem* [5] *non ferentes Romam mittunt ac sui subiectione promissa contra hostes auxilia flagitant. quibus statim* ab Honorio *missa militum legio magnam barbarorum multitudinem stravit ceterosque Brittaniae finibus expulit. sed mox ut discessere Romani, advecti iterum navibus hostes obvia quaeque sibi conculcant ac devorant. rursumque advolant Romani caesumque hostem trans maria fugant.*

Hoc tempore dum *Wandali* Alanique Hispanias infesta- VI [6] rent, Honorius ad eas defensandas *Castinum ducem cum exercitu dirigit. qui Castinus praclarum virum Bonifatium ac*

---

[1] *cf.* Prosp. 416, 418, Tiro p. 750. [2] Prosp. 419. [3] Prosp. 420 (421). [4] *cf.* Tiro 750. [5] Beda 426 *praeter:* ab Honorio (*P*). [6] Prosp. 422.

---

2 mittent *NZ*¹ ‖ 6 *post* pereamus *add. ZN*² *i. m.:* hucusque orosius ‖ 13 ebitandum *NZ*¹ ‖ 18 adeuolutis *HV* ‖ 21 iouiniani *NZBML* ‖ 28 auxilio *NZ*¹, auxilium *Z*² ‖ 32 caesamque *HV*¹.

bellicis artibus exercitum *inepto et iniurioso imperio ab expeditionis suae societate avertit. Bonifatius vero periculosum sibi indignumque ratus eum sequi, quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum urbis atque inde ad Africam proripuit magnumque postmodum rei publicae detrimentum* totiusque Africae causa excidii extitit. Castinus vero tanto collega ob suam intemperantiam privatus nihil dignum in Hispaniis gessit.

VII [1] Inter haec *Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa ad Orientem cum Honoria et Valentiniano filiis profecta* a Theodosio Augusto, Archadii alterius germani sui filio, honorifice libenterque suscepta est. Honorius vero postquam cum minore, de quo praemissum est, Theodosio Archadii sui germani filio annis quindecim imperasset, cum iam antea cum fratre annis tredecim ac sub patre duobus regnasset, rem publicam, ut cupierat, pacatam relinquens apud urbem Romam vita exemptus est corpusque eius iuxta beati Petri apostoli martyrium VIII [2] in mausoleo sepultum est. huic suboles nulla fuit. *nam duae Stiliconis filiae id est Maria et Hermantia una post alteram eius coniugio sociatae utraeque dei iudicio inopinata morte praeventae ex hac luce virgines migravere.* fuit sane Honorius moribus et religione patri Theodosio non valde absimilis. cuius temporibus quamvis multa externa et civilia bella sur- [1] rexerint, vel nullo vel minimo sanguine quievere. *exempto rebus humanis Honorio fultus praesidio Castini magistri militum Iohannes invadit imperium.*

VIIII Anno ab urbe condita millesimo centesimo septuagesimo septimo Theodosius Archadii filius quadragesimus tertius regum Romanorum Orientale regebat imperium. qui conperto patrui [3] sui Honorii funere mox *Valentinianum amitae suae* Placidiae *filium Caesarem effectum cum matre Augusta ad recipiendum Occidentis dirigit regnum. quo tempore Iohannes, dum Africam, quam Bonifatius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.* denique venientes *Placidia Augusta*

---

[1] Prosp. 423. [2] Iord. R. 238 *cf.* G. 30. [3] Prosp. 424, 425.

---

1 exercitatum *ZM*, *VN e corr.* ‖ 9 ad orientem *om.* *NZ*[1] ‖ 10 cum honorio *MB*, *om.* *NZ* ‖ 14 cum iam] cui iam *N*, et*iam *Z* ‖ 16 pactam *HVM*[1] ‖ uitae *NZ* ‖ 18 manusoleo *N*, manusoleum *Z* ‖ 19 thermantia *NZ*, hormantia *B*, hermantiam *L* ‖ 21 uirgines *om.* *VL* ‖ 22 obsimilis *NZ* ‖ 23 surrexerunt *NZL* ‖ 28 septimo *om.* *NZ* ‖ regnum *VNZML* ‖ 30 placidae *NZ*[1] ‖ 33 bello reposcit] bellare poscit *L*, bellare possit *M*[1].

et Valentinianus Caesar mira eum felicitate continuo *opprimunt regnique gubernacula victores arripiunt;* quorum tunc [1] milites crudeliter Ravennam depopulati sunt eo, quod illius maxime cives tyrannicae parti favissent. *Castinum vero ma-* [2] *gistrum militum damnant exilio, cuius arripuisse factione Iohannes tyrannidem credebatur, data Aetio venia eo, quod Hunni, quos per ipsum Iohannes acceperat, eius studio remeassent ad propria. Valentinianus* igitur consensu totius Italiae imperator efficitur itemque *ex decreto Theodosii Augustus appellatur.* dum haec geruntur *Achillas nobile oppidum Galliarum a Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aetio non inpuniti abscederent.*

Bonifatius inter haec *apud Africam potentia gloriaque* X [3] *augebatur. mittuntur adversus eum Mabortius et Galbio; qui dum Bonifatium obsidere parant, ab eo interempti sunt. exinde gentibus, quae uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est. rursus contra Bonifatium Sigisvuldus comes dirigitur.* Bonifatius vero [4] sentiens se non posse tuto Africam tenere cernensque sibi periculum instare, in perniciem totius rei publicae effervescens Wandalorum Alanorumque gentem cum Geiserico suo rege ab Hispaniis evocatos Africae intromisit, qui *cunctam* paene *Afri-* [5] *cam ferro flamma rapinis crudelissime devastantes catholicam insuper fidem Arriana inpietate subvertere.* sub hoc turbine *beatissimus,* de quo praemissum est, *Augustinus Hipponiensis episcopus, ne civitatis suae ruinam cerneret, tertio eius obsidionis mense sex et septuaginta vitae annis expletis, ex quibus quadraginta in clericatu seu in episcopatu transegerat, ad Christum perrexit.*

Eodem tempore *pace totius orbis et consensione mirabili* XI [6] *Bonifatius ab Africa ad Italiam per urbem rediit accepta magistri militum dignitate. qui cum resistente sibi Aetio proelio*

---

[1] *cf.* Tiro 751. [2] Prosp. 424, 425. [3] Prosp. 427. [4] *cf.* Prosp. 427, Tiro 751, Beda 452. [5] Beda 452. [6] Prosp. 432.

---

6 crudebatur *HV* || aetio] ei *NZ* || 10 achilla *V*, achilas *NZL*: arelas *Prosper.* || 11 non inpuniti] inpunito N^1, puniti N^2Z || 13 potentiam HV^1L || 14 angebatur *NZ* || mauortius *VBM* || 16 uti] liti *NZ* || 17 auxilia *NZ*, auxilio *M* || 18 sigisiuuldus *HB*, sigisiuldus *V*, sigisuulnus *NZ* || 19 tuto] totam *NZ* || 20 in *om.* *HV* || afferuescens *NZ* || 21 genserigo *NZ* || 24 hac N^2Z || 26 ciuitati *HV* || ruinam *om.* N^1, depopulationem ZN^2 || 28 *alterum* in *om.* *NZML* || 30 pacem HVM^1 || consensione] confessione *NZ* || 32 resistente sibi aetium *N*, resistentem sibi aetium Z^2MB.

superavisset, paucis interiectis diebus morbo extinctus est. Aetius
vero cum deposita dignitate in agro suo degeret ibique eum
quidam eius aemulus repentino incursu opprimere temptasset,
profugus ad urbem atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannonias
ad Hunnos pervenit, quorum amicitiis auxilioque usus pacem
principum et ius interpolatae potestatis obtinuit nec multo post
patriciatus etiam dignitatem adeptus est. post eam igitur,
[1] quae praemissa est, Africae cladem *data per Trigetium ad*
habitandum Wandalis Africae portione pax cum eisdem neces-
saria magis quam utilis *facta est.*

XII [2] *His* etiam *temporibus Gundicarium Burgundionum regem*
intra Gallias habitantem Aetius patricius bello obtrivit pacem-
que ei supplicanti concessit. interea *Gothi pacis placita per-*
turbant et pleraque municipia vicina suis sedibus occupant
cumque essent *maxime oppido Narbonensi infesti* civesque eius
longa obsidione et fame affligerent, *adveniens comes Litorius*
hostes in fugam vertit et civitatem adlata frumenti copia a fame
liberavit.

[3] Dehinc *anno sequenti bellum adversum Gothos Hunnis*
auxiliantibus gestum est.

Hac tempestate *Geisericus apud Africam intra habitationis*
suae limites cupiens catholicam fidem Arriana inpietate subver-
tere quosdam nostrorum episcopos eatenus persecutus est, ut eos
privatos iure basilicarum suarum etiam civitatibus pelleret, cum
ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet.
his denique diebus *Valentinianus Augustus ad Theodosium prin-*
cipem suum fratruelem *Constantinopolim profectus est filiamque*
[4] *eius in matrimonium accepit.* per idem tempus *piratae multas*
insulas praecipueque Siciliam populati sunt.

XIIII [5] Inter haec *Litorius, qui secunda ab Aetio patricio potestate*
Hunnis auxiliantibus praeerat, dum Aetii gloriam superare
appetit dumque aruspicum responsis et daemonum significationi-
bus fidit, pugnam cum Gothis inprudenter conseruit. ac primum
quidem magnam hostium stragem dedit, postmodum vero suis paene
omnibus trucidatis ipse a Gothis turpiter captus est. postremo

---

[1] Prosp. 435. [2] Prosp. 436. [3] Prosp. 437. [4] Prosp. 438. [5] Prosp. 439.

---

5 amicitias *NZ*¹ ‖ 7 eam] ea *VM* ‖ 9 portionem *HVBL* ‖ 12 obtriuitque pacem *NZ*¹, obtriuit qui pacem *Z*², triuit pacemque *M*¹ ‖ 13 placida *HVBM* ‖ 15 oppida *NZ* ‖ 21 genserichus *aut* genserigus *NZML semper* ‖ 25 nullus *ZM* ‖ 28 piratae *om. HVB* ‖ 30 potestatem *NZ* ‖ 32 appetiit *HVB*.

pax cum eisdem facta est, cum eam Romani post huius lacrimabilis belli perniciem humilius quam umquam antea poposcissent.

XIIII *Aetio* itaque *rebus quae in Gallis conponebantur intento Geisericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem, dolo pacis invadit omnesque opes eius excruciatis diverso tormentorum genere civibus in ius suum vertit nec ab ecclesiarum despoliatione abstinens, quas sacris vasis exinanitas et sacerdotum administratione privatas non iam divini cultus loca sed suorum esse iussit habitacula, in universum captivi populi ordinem saevus, sed praecipue nobilitati et religioni infestus, ut discerni omnino non possit, hominibus magis an deo bellum intulisset.* igitur *Carthago ab Wandalis* hoc modo *capta est annis quingentis octoginta et quinque* evolutis, *postquam Romano coeperat iuri parere.* sequenti deinde anno *Geisericus* ad *Siciliam* [1] transiens, dum magnis eam calamitatibus *affligeret, accepto nuntio de Sebastiano, qui ab Hispaniis ad Africam tenderet, celeriter Carthaginem rediit ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendae Carthagini incubuisset. verum ille amicum se magis quam hostem videri volens, dum de regis barbari amicitiis inprovise praesumit, infelici morte peremptus est.*

XV [2] Post haec *imperator Theodosius bellum contra Wandalos movit Ariovindo et Ansila atque Germano ducibus magna cum classe directis. qui longis cunctationibus negotium differentes Siciliae magis oneri quam Africae praesidio fuere.*

XVI [3] Per haec tempora *Hunnis Tracias et Illyricum saeva populatione vastantibus exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem Orientalium provinciarum revertitur.*

[4] Sub his fere diebus tam terribili Roma terrae motu concussa est, ut plurimae eius aedes aedificiaque corruerint.

XVII [5] *Brittani* itaque, de quibus praemissum est, *cum rursus Scottorum Pictorumque incursionibus premerentur, mittunt Aetio epistulam lacrimis aerumnisque refertam eiusque* quantocius *auxilium efflagitant. quibus dum Aetius minime annuisset* eo,

---

[1] Prosp. 440. [2] Prosp. 441. [3] Prosp. 442. [4] *cf.* An. Cusp. B. a. 443. [5] Beda 452 *cf.* hist. eccl. g. Angl. I 13.

---

6 evertit *NZ* ‖ 7 et *om. NZ* ‖ 11 an deo] mortem an bellum *NZ*, mortem *add.* N^2 ‖ intulissent *NZ* ‖ 13 octingenta *HV* ‖ 14 parare VN^1Z^1 ‖ 16 sabastiano *NZ* ‖ 20 amicitias NZ^1 ‖ praesumens *HVL* ‖ 23 magna cum classe] magnam classem *NZ* ‖ 29 motum *VM ante corr.* ‖ 30 primae $HVBM^1$ ‖ corruerant N^1Z ‖ 31 rursus] currus N^1, cursus N^2Z^1, concursum Z^2 ‖ 32 pictonumque ZM^2.

quod contra viciniores hostes occupatus existeret, *quidam Brittanorum strenue resistentes hostes abigunt, quidam vero coacti hostibus subiciuntur.* denique *subactam Picti extremam eiusdem insulae partem eam sibi habitationem fecere* nec ultra exinde hactenus valuerunt expelli. at vero residui Brittanorum, dum continue Scottorum impetus formidarent, ultra iam de Romanorum praesidio diffidentes *Anglorum gentem cum suo rege Vertigerno ad defensionem suae patriae invitavere. quos amicali societate exceptos* versa in contrarium vice *hostes* pro adiutoribus *inpugnatoresque sensere.* sequenti deinceps tem-[1]pore *gens Anglorum sive Saxonum Brittaniam tribus longis navibus advehitur. quorum dum iter prosperatum domi fama retulisset, mittitur* nihilo minus *exercitus multiplex, qui sociatus prioribus primum hostes, propter quos petebatur, abigit, deinde in Brittones arma convertens conficta occasione, quasi pro se eis militantibus minus stipendia praeparassent, totam prope insulam ab orientali eius plaga usque ad occidentalem incendio sibi seu gladio subegit.*

XVIII At vero Theodosius dum absque viginti uno superioribus annis, quos cum Honorio patruo regnaverat, septem et viginti annis imperium gessisset, ex quibus cum Valentiniano genero viginti quinque transegit, apud Constantinopolim morbo consumptus obiit ibique sepultus est.

LIBER DECIMVS QVARTVS.

I Anno ab urbe condita millesimo ducentesimo quarto defuncto Theodosio quadragesimus quartus in numero Marcianus Orientali aulae praeficitur imperator.

Ceterum Valentiniani tempora huius vel superioris imperatoris curriculis adscribuntur.

---

[1] Beda 459.

---

7 gente *NM* ‖ 12 iter] inter *HNZ¹M* ‖ 13 rettulissent *M¹L* ‖ 14 hostem *NZ¹* ‖ propter] populi *HB* ‖ patebatur *HVNZM¹*, patiebatur *B*, petebat *L*, petebatur *M²* ‖ 18 subegit *om.* *NZ¹* ‖ 22 transegit] egit *NZ* ‖ 24 explicit historiae romanae liber XIII incipit liber XIIII *V*, explicit liber III incipit liber XIIII *HNZM*, incipit liber XIIII *B*.

Igitur *Valentinianus* occidui rector imperii pacis ea tempestate *foedera cum Geiserico* Wandalorum rege *firmavit certisque spatiis Africa inter utrosque divisa est.* Geisericus vero *dum de rerum successu* tumidus etiam *apud suos superbiret, valida adversus eum suorum conspiratio facta est; quorum molitione detecta diversis ab eo excruciati periere suppliciis.* horum *si quidem funeribus non minus virium amisit, quam si exuperatus belli certamine fuisset.*

II Interea rex Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleba regnum intra Pannonias Daciamque gereret, Macedoniam Misiamque et Achaiam utrasque etiam Tracias inmanissima rabie devastaret, *Blebam suum germanum* regnique *consortem peremit eiusque sibi parere populos conpulit.* fultus itaque fortissimarum gentium, quas sibi subiugarat, praesidio ad occidentale demoliendum animum intendit imperium. erant si quidem eius subiecti dominio rex ille Gepidarum famosissimus Ardaricus, Walamir etiam Gothorum regnator, ipso cui tunc serviebat rege nobilior, fortissimae nihilo minus gentes Marcomanni Suevi Quadi, praeterea Eruli Turcilingi sive Rugi cum propriis regulis aliaeque praeter hos barbarae nationes aquilonis in finibus commanentes. III horum omnium Attila superbus imperio quamquam virium robore facile se posse adipisci putaret, quod cuperet, non minori tamen consilii astutia quam armorum fortitudine hostes adgredi satagebat. praevidens itaque sagacitate, qua callebat, non sibi fore tutum, si Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis auxilio iungerentur, amicum se Gothis simulans adversum Romanos se asserit proeliaturum Romanorumque e diverso quasi amicitias appetens in Gothos, eorum videlicet hostes, se pollicetur arma moturum. agebat itaque hoc versuta barbaries, quatenus, si hos posset a societate dividere, facilius utrosque singulari certamine proculcaret. quas eius astutias Aetius non minori acumine praevidens legatos ad Theodoritum, qui eo tempore Gothis apud Tolosam regnabat, dirigit, qui cum eo pacis foedera sociarent. annuit iuxta Aetii votum Romanorum legatis Theodoritus iungitque cum eis non

I Prosp. 442.
II Prosp. 444 *cf.* Iord. R. 239 G. 38, Prosp. 451.
III *cf.* Iord. G. 36, 42, Prosp. 451.

1 ea] hac *NZ*, eam *L* ‖ 4 superbiret] subiret *H*, superuiueret *V* ‖ 7 uirum *NL* ‖ 10 pannoniam M^1L, scithiam NZM^2 ‖ 14 occidentalem *HVML* ‖ 19 heroli *NZ*, heruli *L* ‖ turgilingis *H*, turgilinguis *V*, turgilinges *B* ‖ 23 quod cuperet *om.* *NZ* ‖ 33 theodoricum N^1B, theodericum N^2Z ‖ 35 theodericus N^2Z, theodoricus *B*.

minus sibi prospiciens firmissimum foedus promittitque se pa-
IIII riter pugnaturum. fuere interea Romanis auxilio Burgundiones Alani cum Sangibano suo rege, Franci Saxones Riparioli Briones Sarmatae Armoriciani Liticiani ac paene totius populi Occidentis, *quos omnes Aetius, ne inpar Attilae occurreret, ad belli adsciverat societatem.* convenitur ex utraque parte in campos Catalaunicos, qui centum in longitudinem leuvas et ex latitudine septuaginta leuvis, ut Gallis mos est metiri, feruntur.

V Attila itaque primo impetu mox ut Gallias introgressus est, Gundicarium Burgundionum regem sibi occurrentem protrivit.

Deinde cum ad locum certaminis ventum esset, inquirit aruspicem, si quid sibi de belli sorte venturum praediceret. qui arte daemoniaca exta pecudum perscrutans Attilae infausta denuntiat, hoc tamen quantulumcumque solacium fore, quod summus de parte hostili in certamine ductor occumberet. Attila vero dum haec Aetii interitum, cuius mortem sitiebat, denuntiare putaret, non dubitavit vel cum suorum perditione bellum committere, dummodo Aetium suis motibus fortiter obsistentem possit extinguere. committit itaque pugnam iam in vesperum die vergente, ut, si superaretur ab hostibus, inminentis se noctis
VI tenebris occuleret. conveniunt hinc et inde fortissimae nationes, conseruntur acies, fit bellum acre nimis et pertinax, quale vix ulla narratur historia. nec antea proeliandi ardore quievere, quam eis nox superveniens pugnandi voluntatem adimeret. eo si quidem proelio centum octoginta milia hominum caesa referuntur tantumque est sanguinis effusum, ut parvulus, qui ibidem labebatur, rivulus inmodicus subito torrens effectus cadavera secum traheret peremptorum. Attilam sane de morte Aetii sua suspicio fefellit: nam incolumi Aetio rex ibi Gothorum Theodoritus occubuit. *in quo proelio quamvis neuter cessisset exercitus, constat tamen Attilam fuisse superatum.*
VII qui cum die altera intra plaustrorum munimenta se continens erumpere non auderet nec tamen cessaret tubis et clamore

IIII Prosp. 451 *cf.* Iord. G. 36, 37. VI Prosp. 451; *cf.* Iord. G. 36, 40, 41.

V *cf.* Prosp. 435; *cf.* Iord. G. 37. VII *cf.* Iord. G. 40, 41.

1 prospiciens sibi *NZ* || 4 liticiniani *NZ* || 7 cataleunicos *HB* || 13 daemonica H^2L || 16 de *add. post* haec *NZML* || interitu *codd. praet.* VN^1 || denuntiari *codd. praet.* VB^1 || 20 die] de N^1, di *Z*, diem V^1 || 24 quieueret N^1, quieuerit *Z* || 26 sanguis $VNZM^1L$ || effusus V^2NZ || paruus *NZL* || 27 inmodico *NZ*, non modicus *M* || 29 incolomi *HBNZL* || 30 theodericus N^2Z, theodoricus N^2B.

perstrepere, Torismund Theodoriti regis filius dolens de paterno funere statuit Attilam obsidione coartare, ut eum eiusque exercitum ad internicionem usque deleret. tum Attila de vitae fiducia iam desperans ex equitatoriis ingentem pyram sellis construxit, ut ibidem se Gothis inminentibus supposito igne cremaret, ne aut quisquam de eius laetaretur vulnere aut rex tantarum gentium in potestatem hostium deveniret. Aetius VIII
vero incaute perpendens Romanos a Gothis perempto Attila deprimi nec deinceps adversum Gothos, si necessitas incumberet, solacium habere, Theodorico quasi eius rebus consulens persuadet, ut domum reverteretur regnum paternum arriperet, ne, si ab eius invaderetur germanis, acerbius ei esset cum suis quam cum hostibus dimicare. hoc ille consilium tamquam pro sua salute prolatum libenter amplectens domum reversus est regnumque paternum suscepit. ceterum Aetius et ob hoc talia machinatus est, ut Attilam ab eius inpressione subduceret. inscia heu mens hominum, quantum hac provisione detrimentum patriae, dum avertere cupit, ingessit.

At vero Attila cernens se relicto hostes ad propria re- VIIII
measse, erectis animis ac spe salutis elevatus Pannonias repedavit multumque potiorem exercitum coacervans Italiam furibundus introiit. ac primum Aquileiam civitatem in ipso Italiae sitam principio expugnare adgressus est; quam continuo triennio obsidens, cum adversus eam strenue civibus repugnantibus nihil praevaleret iamque murmur sui exercitus non valentis famis tolerare penuriam audiret, cum die quadam civitatem circuit, ut ex qua parte eam facilius posset expugnare, inquireret, cernit repente aves in aedificiorum fastigiis nidificare solitas, quae ciconiae vocantur, uno impetu ex urbe migrare fetusque suos sublatos rostris per rura forinsecus deportare. ‘aspicite’ inquit ad suos ‘aves futurorum praescias perituram relinquere civitatem’. statimque adhibitis machinis tormentisque hortatur suos, acriter expugnat urbem ac sine mora capit: diripiuntur opes, captivantur vel trucidantur cives, residuum direptioni igni supposito flamma consumit. fuerat si quidem X

VIII *cf.* Iord. G. 41. VIIII *cf.* Iord. G. 42, Tiro 755.

---

1 thorismundus *L*, torismund *HBM*, torismunc *V*, torismus *Z*, torismum N^1, theodorismus N^2 ‖ theoderici *Z*, theodorici N^2, teodorici *B* ‖ 2 cohartare *NZL* ‖ 9 ne *HVBM*^{1}*L* ‖ 10 haberet *NZL* ‖ theodorigo *H*, theodorismo *Z*, thodorismo *N*, thorismundo *L recte* ‖ 15 et *om. NZL, del.* M^2 ‖ 16 subduceret — 17 prouisione *om.* NZ^1 ‖ 21 coacerbatus *NZ* ‖ 22 introiuit *NZL*.

in ea civitate feminarum nobilissima Digna nomine forma quidem eximia sed candore pudicitiae amplius decorata. haec dum habitaculum super ipsa urbis moenia haberet turremque excelsam suae domui inminentem, subter quam Natissa fluvius vitreis labebatur fluentis, ne sordidissimis hostibus ludibrium fieret animaeque pulchritudinem vel vi inlata libidine vitiaret, mox ingressum hostium captamque urbem praesensit, e summa se eadem turre obvoluto capite in gurgitem praecipitem dedit metumque amittendae pudicitiae memorabili exitu terminavit.
XI plura praeterea eiusdem regionis castella inmanis hostis extinctis vel captivatis civibus succendit ac diruit, Concordiam, Altinum sive Patavium, vicinas Aquileiae civitates illius instar demoliens solo coaequavit. exinde per universas Venetiarum urbes, hoc est Vicetiam Veronam Brixiam Pergamum seu reliquas nullo resistente Hunni bacchantur, Mediolanium Ticinumque pari sorte diripiunt ab igni tamen abstinentes et ferro. deinde Aemiliae civitatibus similiter expoliatis novissime eo loco, quo Mincius fluvius in Padum influit, castra metati sunt. ubi Attila consistens dum, utrum adiret Romam an desisteret, animo fluctuaret, non urbi, cui infestus erat, consulens sed Alarici exemplum pavens, qui captae a se urbi non diutius supervixit, dum ergo has animo tempestates revolveret, repente
XII illi legatio placidissima a Roma advenit. nam per se vir sanctissimus Leo papa ad eum accessit. qui cum ad regem barbarum introgressus esset, cuncta ut optaverat obtinens non solum Romae sed et totius Italiae salutem reportavit; territus namque nutu dei Attila fuerat nec aliud Christi sacerdoti loqui valuit nisi quod ipse praeoptabat. fertur itaque post discessum pontificis interrogatum esse Attilam a suis, cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano papae exhibuerit, quando quidem paene ad omnia, quae ille imperasset, obtemperarit; tum regem respondisse non se eius, qui advenerat, personam reveritum esse sed alium se virum iuxta eum in habitu sacer-

---

XI *cf.* Iord. G. 42, Tiro 755.

---

1 digna *om.* *NZ* ‖ 3 supra ipsa *L*, supra *NZ* ‖ 4 natissa] altissimam *Z*, altissima N^2, *atissima N^1 ‖ 5 sordidissimus *NZ* ‖ hostibus — 7 ingressum *om.* *NZ* ‖ 6 ui] ut *NZB* ‖ 7 mox ut *NZBL* ‖ 8 abuoluto *NZ*, obuoluta *L* ‖ 12 maltinum *NZ* ‖ siue patauium *om.* *NZ* ‖ 13 aequauit *NZ* ‖ 14 uicentiam NZ^1M, uincentiam *B* ‖ brexiam N^2Z ‖ 15 mediolanu *H*, mediolanum *VNZ* ‖ ticiniumque *H*, demumque *NZ*, demum *add.* N^2 ‖ 16 igne HBM^2 ‖ 25 optaret N^1, optarat N^2Z ‖ 28 praeoptarat *NZL* ‖ 31 ille sibi *NZML*.

dotali adstantem vidisse forma augustiore canitie venerabilem
illumque evaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem,
nisi cuncta, quae ille expetebat, explesset. igitur Attila tali XIII
modo a sua saevitia repressus relicta Italia Pannonias repetit.
ad quem Honoria Valentiniani principis germana, dum a fratre
ob decus pudicitiae districte servaretur, suum eunuchum dirigit,
quatenus eam sibi a fratre in matrimonium extorqueret. ac-
cepto itaque hoc Attila nuntio, quia iam Italiae fines excesserat
nec statim fatigato exercitu regredi poterat, mandat Valen-
tiniano imperatori minitans peiora se proxime inlaturum Italiae,
nisi mox ei suam germanam cum parte regni debita trans-
misisset. qui reversus ad proprias sedes supra plures, quas
habebat, uxores puellam valde decoram Ildicco nomine sibi in
matrimonium iunxit; ob cuius nuptias profusa convivia exer-
cens dum tantum vini quantum numquam antea insemel bi-
bisset, cum supinus quiesceret, eruptione sanguinis, qui ei de
naribus solitus erat effluere, suffocatus extinctus est. eadem
denique apud Constantinopolim nocte Marciano imperatori in
somnis Dominus apparens arcum Attilae fractum ostendit, quo
scilicet armorum genere gens illa fidere in bello maxime solet.

Dum haec geruntur, apud Brittaniam *Pelagianae haereseos* XIIII
*adsertores Brittanorum temptabant subvertere fidem; qui a Gal-
lorum episcopis auxilium petentes ad* rectae *fidei defensionem*
sanctissimum virum *Germanum* multisque iam virtutibus clarum
Altiodorensis ecclesiae episcopum accipiunt et Lupum Trecasenum
praesulem *aeque apostolicae gratiae* virum, *qui non minus si-
gnorum miraculis quam doctrinae verbis* omnes *ad* sanae *fidei
confessionem reduxere.* ecce autem adhuc ibidem sanctis epi-
scopis consistentibus valida *Saxonum Pictorumque manus Brit-
taniam advehitur.* nihilo minus Brittones mox arma cor-
ripientes hostibus obviam pergunt, cum quibus beatissimus
Germanus sponte se offerens una pergit ad proelium, cumque
ipse dux belli ante consertam aciem constitisset iamque hostes
conglobati propius adventarent, non tubae clangoribus, non
gladiis fidens imperat solummodo sanctus antistes, ut, cum
ipse prior inclamasset, omnes voce consona eundem respon-

XIII *cf.* Iord. G. 42, 43, 49, R. 239, Tiro 755. XIIII Beda 459 *cf.* Bed. hist. eccl. gent. Angl. I 14, 20, Tiro 752.

1 astantem *VBL* ‖ 21 gerentur *H*, gererentur *B* ‖ 25 tracasenum *VNZ* ‖ 27 uerbis] uerius *NZ* ‖ 28 reduxerat *NZ* ‖ 32 sese *NZM*² ‖ 36 consona] consonarent *N*¹*Z*, rent *add.* *N*² ‖ eundem — sonuit *om.* *NZ*¹, *add.* *Z*² *ante* consonarent.

derent sermonem. moxque elevata magna voce Alleluia sonuit: cumque omnis exercitus sublato ad sidera clamore Alleluia respondisset cunctaque per circuitum loca resultassent, continuo tantus hostes pavor invadit, ut dissoluta acie fugam arripientes, ac si singulorum cervicibus gladius immineret, tremebundi ad propria refugerent.

XV Igitur quia semper virtus invidiam parit, Valentinianus imperator, quantum res edocuit, prosperos Aetii successus, ut supra praemissum est, pertimescens, eum simulque Boethium senatorem nobilissimum gladio peremit. ita vir bellicosissimus *Aetius et quondam Attilae regis* potentissimi *terror* occubuit, *cum quo* pariter et *Occidentis imperium salusque rei publicae corruit nec* ultra *hactenus valuit relevari.* sed nequaquam Valentiniano mors Aetii inpune cessit; nam et ipse anno sequenti *a Transila Aetii milite*, cum triginta annis imperium gessisset, *confossus interiit*, ex quibus cum Theodosio socero viginti quinque, cum Marciano quinque imperavit.

XVI Mortuo Valentiniano regni iura Maximus apud urbem invadens nec dum duobus expletis mensibus a Romanis peremptus est; continuo advectus ex Africa navibus adest Geisericus cum validissimo suae gentis exercitu fultus insuper praesidio Maurorum, cum adhuc Romanae ecclesiae beatissimus Leo ageret pontificatum. perculsis itaque Romanis tam terribili nuntio *nobilibus*que simul *ac popularibus ex urbe fugientibus urbem omni praesidio vacuam Geisericus obtinuit occurrente sibi extra portam* eodem *sancto Leone episcopo, cuius supplicatio ita eum deo adiuvante linivit, ut, cum omnia potestati eius essent tradita, ab igni tamen et caede atque suppliciis abstineretur. quattuordecim* interim *dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est multaque milia captivorum, prout cuique aetate aut arte placuerant, cum regina* Eudoxia, quae Geisericum ad hoc facinus invitaverat, duabus-
XVII que *eius filiabus Carthaginem abducta sunt.* capta itaque hoc modo a Geiserico Roma est, postquam eam primo Alaricus invaserat, secunda iam vice expletis ab eo tempore quadraginta quattuor annis, a conditione sua mille ducentis atque octo

XV Beda 459; *cf.* Prosp. 454, Iord. R. 239. XVI Prosp. 455; *cf.* Iord. R. 239, An. Cusp. B. 455, Prosp. 455.

5 ad *om.* *NZ* || 6 refugerunt N^1L || 16 e *VZM* || 20 aduectis V^2, adiectis N^2Z || adest] adens N^1, adiens N^2Z || 27 leniuit N^2B || 29 scrutatione] scriptione *NL*, sceptione Z^1 || 31 placuerunt *NZML* || 33 hoc *om.* *HVB*.

evolutis. relicta itaque urbe per Campaniam sese Wandali
Maurique effundentes cuncta ferro flammisque consumunt,
quicquid superesse potest diripiunt, captam nobilissimam civi-
tatem Capuam ad solum usque deiciunt captivant praedantur.
Nolam nihilo minus urbem ditissimam aliasque quam plures
pari ruina prosternunt. Neapolim praeterea quasque ob firmi-
tatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt,
quicumque gladio superfuerant, captivitatis iugo subiciuntur.
inter has procellas vir piissimus Paulinus Nolanae urbis epi- XVIII
scopus, postquam quicquid habere poterat, in captivorum re-
demptionem expendit, novissime, cum nihil ei aliud nisi ipse
sibi solummodo superesset, pro cuiusdam viduae filio maternas
non valens piis ferre visceribus lacrimas cum eadem ad Afri-
cam proficiscens, quo iam hostes discesserant, sese barbaro
viro vice vicaria in servitium tradidit. cuius sanctitas cum
apud eandem barbaram gentem dei nutu cognita fuisset, de-
mum cum omnibus suis civibus ad urbem propriam remeavit.

At vero Geisericus postquam ditatus Italiae opibus ad XVIIII
Africam regressus est, Valentiniani principis natam, quam ab
urbe captivitatis sorte abduxerat, Transamundo suo filio in
matrimonium copulavit, ex qua videlicet Hildericus natus est,
qui quartus postmodum a Geiserico Wandalis apud Africam
regnavit.

Recedente igitur ab urbe Geiserico Romani sequenti mense exinanitae rei publicae imperatorem Habitum praeficiunt.

Wisigothae quoque circa haec tempora cum rege suo Theoderico Theodoriti filio transcensis Pyrenaei iugis Hispanias invadunt.

Ast vero Marcianus imperator cum apud Constantinopolim septem annis regnum administrasset, facta suorum conspiratione peremptus est.

XVIII *cf.* Greg. dial. 3, 1. XVIIII *cf.* Prosp. Aug. 455, Isid. 455.

---

1 urbe] roma *B*, *om.* *HV* || 2 effudentes N^1ZL || 3 capta *VL* ciuitatum *NML* || 7 agrariis] sacrariis *NZ* || 16 eadem N^1Z || 18 italia eo opibus *NZ* || 20 trasamundo *NZMB* || 24 sequente HM^1 || 25 abitum L^2, auitum L^1M^2 || 27 theodorico N^1MBL || theodorici N^2ZB || pyrinaei *HBM*.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

I Anno ab urbis conditione millesimo ducentesimo undecimo post Marciani imperatoris interitum Leo quintus ac quadragesimus Romanorum regum apud urbem Constantinopolim Augustali potitus est dignitate, qui deinceps sequenti tempore Leonem suum filium imperii consortem effecit.

Exempto quoque in Italia humanis rebus Avito Maiorianus apud Ravennam invadit imperium. quod cum prope quattuor annis obtinuisset, haud procul a Dertonensi civitate iuxta Hiriam flumen occisus est statimque Severus apud Ravennam imperator efficitur atque Augustus appellatur.

Tertio huius anno imperii Biorgor rex Alanorum cum exercitu adveniens occurrente patricio Ricimere superatus non longe a Bergamo civitate Venetiae atque extinctus est. Severus vero cum quattuor annis imperasset, mortem propriam apud urbem occubuit.

Eodem tempore egresso inopinate igni magna Constantinopolis aedium strage cremata est.

II Dehinc totius consensu militiae post Severi mortem iura imperii Anthemius suscepit.

Sequenti anno Servandus Galliarum praefectus imperium temptans invadere iussu Anthemii principis in exilium trusus est.

Rursus annali emenso spatio Romanus patricius imperatoriam fraudulenter satagens arripere dignitatem praecipiente Anthemio capite caesus est.

His quoque diebus Geisericus iterum ad Italiam navibus

I *cf.* Iord. R. 239, G. 45, Cassiod. 464, Marcell. 465. II *cf.* Iord. G. 45, R. 239, Cassiod. 469—471.

1 explicit liber xiiii incipit liber xv *HVNZM*, incipit lib. xv *B* || 5 deinde *NZ* || 7 exempto] excepto *NZ*[1] || habito *VNZ* || 8 quo *NZ*[1], qui *Z*[2] || 10 iliam *NZ* || 12 uiorgo *V*, biorgo *NZ*, hiorgor *L*, bi^{c}horgor *M* || 14 pergamo *N*[2]*ZM* || 15 morte propria *NZB*.

adventare cupiens a Basilisco patricio navali superatus certamine Carthaginem inglorius repedavit.

At vero in Orientis partibus Aspar patricius Leoni Augusto insidias moliens suum filium Caesarem effecit. Leo victorem exercitum statim ex Sicilia evocans Asparem patricium cum novello Caesare filio alioque eius germano digno vitae multavit excidio.

Hoc denique ipso in tempore inter Anthemium principem III
eiusque generum Ricimerem patricium, qui tunc Mediolani positus praeerat Liguriae, magnus discordiarum fomes exortus est, quibus se vir sanctitate conspicuus Epiphanius Ticinensis episcopus interponens eos primum ad concordiam revocavit. deinde barbarica perfidia foedus Ricimer inrumpens — erat Gothus prosapia — cum manu mox valida urbem contendit atque apud Anicionis pontem castra composuit. divisa itaque Roma est et quidam favebant Anthemio, quidam vero Ricimeris perfidiam sequebantur.

Inter haec Olibrius a Leone Augusto missus ad urbem venit vivoque adhuc Anthemio regiam adeptus est potestatem.

Bilimer Galliarum rector cognita adversus Anthemium IIII
conspiratione Ricimeris Anthemio ferre praesidium cupiens Romam properavit. is cum Ricimere apud Hadriani pontem proelium committens continuo ab eo superatus atque occisus est. extincto Bilimere mox victor Ricimer urbem invadens quarto iam anno agentem iura imperii Anthemium gladio trucidavit. praeter famis denique morbique penuriam, quibus eo tempore Roma affligebatur, insuper etiam gravissime depraedata est et excepto duabus regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat, cetera omnia praedatorum sunt aviditate vastata. sed non diutius de perfidia laetatus est Ricimer. nam post mensem tertium excruciatus languoribus et ipse interiit.
mortuo Ricimere Olibrius imperator Gundibarum eius nepotem V
patricium effecit. Olibrius quoque dum septem menses imperium gessisset, morte propria Romae defunctus est. post huius

III *cf.* Ennod. v. Epiph. p. 372—374, 378, 379.
IIII *cf.* Cassiod. 472.
V *cf.* Cassiod. 472, 473, Iord. R. 239, An. Vales. 36, Ennod. v. Epiph. 380—385.

2 inglorios *N*[1], ingloriosus *N*[2]*Z* ‖ 5 uocans *VBM*[1] ‖ asparcem *NZ*, aspartem *M*[1] ‖ 13 erat *om.* *N*[1], erat enim *N*[2]*ZML* ‖ 19 potestatem *om.* *Z*[1], dignitatem *NZ*[2] ‖ 23 continuo — occisus est *om.* *NZ*[1] ‖ 25 agente *B*, gentem *HVM*, regentem *L*, regnante *NZ* ‖ anthemio *HVM*[1] ‖ 26 denique *om.* *NZ*[1].

funus Licerius domesticus a Gundibaro patricio totius etiam voluntate exercitus apud Ravennam imperator efficitur.

Anno deinde sequenti inopinate Nepos patricius cum exercitu veniens Licerium regia exuit potestate eumque apud Salonas Dalmatiarum urbem episcopum ordinavit.

Eo tempore cum apud Tolosam Wisegotharum populis Euricus regnaret ac pro Italiae Galliaeque finibus inter Nepotem et Euricum litium fomenta crevissent bellumque e diverso utrique praepararent, interveniente Epiphanio, de quo praemissum est, Ticinensi episcopo, foederis inter eos iura firmata sunt.

VI Haud procul ab his temporibus *Theodoricus cognomento Strabo Triarii filius* cum magna Ostrogotharum multitudine *usque ad quartum urbis miliarium armatus advenit nulli tamen Romanorum noxius, continuoque in Illyricum reversus extinctus est.*

Exigit nunc locus dicere, quam ob causam Gothorum alii Ostrogothae, alii vero Wisegothae sint dicti, oportunumque est aliquantulum ad superiora tempora regredi, quatenus horum ratio vocabulorum possit exponi. temporibus Valentiniani superioris Augusti cum intra Traciae fines Gothorum tunc populi communiter habitarent, bifarie per Alaricum ac Fridigernum divisi decreverunt, ut utramque rempublicam id est Fridigernus cum suis Orientalem, Alaricus vero cum suo exercitu Occidentalem opprimeret. hi ergo, qui cum Fridigerno in Orientali remanserant parte, lingua patria ab oriente Ostrogothae id est orientales Gothi sunt dicti; isti vero, qui occiduas petierant regiones, ab occidente Wisigothae id est occidentales sunt appellati.

VII Leo igitur Augustus postquam Orientale decem et septem annis rexit imperium, diem clausit extremum. mortuo Leone Zeno continuo Augustalem nactus est dignitatem. Leonem itaque, de quo praemissum est, quem pater Leo in regni adsciverat potestatem, mater sua Zenonis impetum formidans occulte clericum fecit exigentique vehementer Zenoni, ut filium

---

VI Iord. R. 239; *cf.* Isid. 451. VII *cf.* Isid. 455, Cassiod. 475, Iord. G. 45, An. Vales. 36 (37).

---

4 liceria *HVM*[1] ‖ 6 tolossam *BL* ‖ uuisigothorum *NZ*, uuisegothorum *L*, ubisegotharum *V* ‖ 13 strauo *V*, istrauo *NZ* ‖ 14 armatos *HVN*[1]*Z*, armato *M* ‖ 15 in] et *NZ* ‖ 18 buisigothae *V*, uisigothae *N*[1]*Z* ‖ 22 ac fridigernum — 28 petierant *om.* *HVB* ‖ 32 nanctus *HM*, functus *NZ* ‖ 35 exigenteque *HVBM*.

proderet, pro eo alium forma similem obtulit. qui Leo deinceps in clericatu ad Iustiniani usque tempora vixit.

Ipso denique anno Augustulus apud Italiam adversus Nepotem cum exercitu veniens effugato eo imperii regimen invasit.

Annali deinceps circulo evoluto cum rege Wandalorum Geiserico foedus initum est ab Oreste patricio.

Haec dum apud Romanos geruntur, Odovacer cum for- VIII
tissima Herolorum multitudine fretus insuper Turcilingorum sive Scirorum auxiliis Italiam ab extremis Pannoniae finibus properare contendit. qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita Severini fama Christi domini servi, qui illis tunc degebat in locis, ad eum sibi benedictionem petiturus accessit. qui dum benedictione percepta ab eius egredi cellula vellet et caput, ne in superliminari ostii, eo quod procerae esset staturae, adlideret, inclinasset, a dei viro futurorum praescio mox talia audivit 'vade nunc ad Italiam, vade Odovacer, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus'. haec ille verba rerum exitu conprobavit. nam aliquantis postmodum annis totius Italiae insuper et urbis usus est potestate. ingresso ergo Italiam VIIII
Odovacre statim ei apud Liguriae terminos Orestes patricius occurrit, qui adversus fortissimam multitudinem nihil se praevalere conspiciens, maxime cum eum iam quidam suorum deseruissent, metu trepidus intra Ticinum se munitionis fiducia concludit. mox adveniens cum exercitu Odovacer expugnatam fortiter ingreditur civitatem: vastantur universa rapinis, saevit ubique gladius, divina quoque privataque aedificia ignis absumit, captus demum Orestes ab hostibus Placentiam usque perducitur ibique gladio detruncatur. exinde per universas idem barbari urbes diffusi cunctam sine aliqua tarditate Italiam iuri proprio subdidere multasque tunc civitates parantes resistere extinctis habitatoribus ad solum usque deiecere.
Odovacer itaque prosperos sibi cernens successus adcrescere X

VIII *cf.* Iord. G. 46, R. 239, vit. S. Severini 7 (An. Vales. 45, 46).
VIIII An. Cusp. 476, Cassiod. 476, An. Vales. 37, Ennod. v. Epiph. 386, 387.
X *cf.* Iord. G. 46, R. 239, An. Vales. 38, 45.

---

7 orestere *NZ* ‖ 8 dum haec *NZ* ‖ odoacer *NZ*, *L semper* | 15 superliminaribus *NZ* ‖ 22 adoacare *NZ* ‖ 28 ubi *HVB*, uniuersa *Z* ‖ gladiis *N*[1]*L* ‖ adsumit *HNZ*, assumit *B*, consumpsit *L* ‖ 30 ibi *NZM* ‖ 32 subdedere *HV*, subdere *NZL*.

statim regiam arripuit dignitatem. Augustulus siquidem, qui imperii praesumpserat potestatem, cernens universam Italiam Odovacris viribus subdi inopinabili metu perterritus sponte miserabilis purpuram abiciens, cum vix undecim mensibus rem publicam obtinuisset, imperialem deposuit maiestatem. ita Romanorum apud Romam imperium toto terrarum orbe venerabile et Augustalis illa sublimitas, quae ab Augusto quondam Octaviano coepta est, cum hoc Augustulo periit anno ab urbis conditione millesimo ducentesimo nono, a Gaio vero Caesare, qui primo singularem arripuit principatum, anno quingentesimo septimo decimo, ab incarnatione autem domini anno quadringentesimo septuagesimo quinto. igitur deiecto ab Augustali dignitate Augustulo urbem Odovacer ingressus totius Italiae adeptus est regnum. quod dum per annos quattuordecim nullo inquietante tenuisset, ab Orientis tunc partibus adveniens Gothorum rex Theodericus Italiam possessurus intravit.

Sed ut ad liquidum, quam ob causam vel unde advenerit, possit agnosci, necesse est aliquantisper ad superiora repedare.

XI Walamir Ostrogotharum rex, de quo superiori libello
praemissum est, quod Attilae Hunnorum regi subiectus exti-
terit, mox ut Attila occubuit, ab Hunnorum se suosque do-
minio avitae libertatis memor excussit. idem quoque et Ge-
pidarum rex Ardaricus ceteraeque Hunnis subiectae faciunt
nationes. Hunni vero dolentes Walamirem eiusque exercitum
non solum se a suae ditionis iugo excussisse, sed etiam ce-
teris nationibus, ut similia facerent, incentores fuisse, mox ut
fugitiva mancipia eos insequentes ad servitutem pristinam armis
adgressi sunt revocare. conglobatis itaque suis super Hunnos
Walamir inruit tantaque in eos caede grassatus est, ut de
reliquo, qui superfuerant Hunni, Ostrogotharum arma formi-
XII darent. Leo denique imperator cum Gothis post haec Illyri-
cum vastantibus foedus iniit ac Theodericum Thiodimeris filium
ex Arileuva concubina genitum a Walamere eius patruo ob-

XI *cf.* Iord. G. 50, 52, 53. XII *cf.* Iord. G. 52—56, R. 239.

1 qui *om.* NZ^1 ‖ 3 adoacris *NZ* ‖ 10 primus NZM^2L ‖ singulare *PL*, singularem *B* ‖ 16 ueniens *NZ* ‖ theodoricus $VBZM^1$ ‖ 21 ostrogothorum *BL* ‖ 22 regis NZ^1 ‖ 24 auita M^1, habitae *VL*, abitae *N* ‖ 25 ceterique *NZ* ‖ 27 excusisse *NZ* ‖ 31 crassatus *NZ* ‖ 32 ostrogothorum HBL^2 ‖ 33 leo] zeno Z^2B ‖ 34 theudericum *NZ* ‖ thiudimeris *NZML* ‖ 35 arileuba *NZ* ‖ uualamire *NZ*.

sidem accepit. occiso deinde a Sciris Walamere Thiodimer eius germanus regia iura suscepit. diviso deinceps regno Thiodimer Orientis, Widimer vero occidui sortitur imperium devastandum, sed mox Widimer Italiam ingressus est, rebus excessit humanis successorem regni Widimer filium relinquens. Widimer vero acceptis a Glycerio tunc imperatore muneribus Gallias contendit seseque cum parentibus Wisegothis iungens unum populum effecit. interea dum de Suavis patrata victoria Widimer domum revertitur, Theodericum filium a Leone imperatore remissum gratanter excepit. qui Theodericus, dum iam octavum decimum annum aetatis ageret, inscio patre aliquantis secum eius satellitibus adscitis vicinam sibi Sarmatarum gentem invadens opima ex eorum manubiis patri spolia praedamque copiosam reportavit. Thiudimere itaque vita dece- XIII
dente universis adnitentibus ad regni gubernacula Theodericus ascendit. quod factum dum ad Zenonem Augustum perlatum esset, gratanter accepit eumque ad se rursus evocatum Constantinopolim magno simul honore et divitiis extulit in tantum, ut etiam consularibus eum fascibus sublimaret, quae dignitas post imperiale fastigium prima est, aereamque illi equestrem statuam ante suum palatium collocaret. at vero XIIII
dum huiuscemodi Theodericus deliciis apud Constantinopolim afflueret, gens illius id est Ostrogothae, dum eis propter fidei sanctionem praedas agere more solito non liceret nec tamen ab imperatore oblata stipendia sufficere possint, coepere non minimam egestatis penuriam pati, execrantur foedus conpositum, vituperant inutilem pactionem mittuntque continuo ad Theodericum, qui dicerent, quas, dum ipse Graecorum epulis superflueret, inopiae miserias sustinerent; hortantur, ut si suis sibique consulere velit, citius redeat, quatenus, ne cuncta gens pessumdetur, novas ad habitandum terras exquirant. his Theodericus cognitis ad Augustum Zenonem accedit, questus

---

XIII *cf.* Iord. G. 56, 57, R. 240. XIIII *cf.* Iord. G. 52, 53, 57, R. 240, An. Vales. 49.

---

1 uualamire *NZ* ‖ theudimer *NZ et* 3 ‖ 4 mox] mox ut *B*, mox ubi *NZ* ‖ 6 clycerio *H*, clicerio *VNZM*, licerio *B* ‖ 7 galliam *M*², gallia *VNZM*¹ ‖ 8 de *om. HVBM*¹ ‖ 9 thiudimer *L recte* ‖ theodoricum *N*¹*M*¹*B*; *codd. discrepantia in scribenda tertia syllaba non enotatur* ‖ 10 remisso *HL*, misso *V*, missum *NZB* ‖ 11 aetatis *om. NZM* ‖ 14 theodimer *NZ* ‖ decidente *NZ* ‖ 23 idest *om. NZ* ‖ fide *HV*² ‖ 24 factionem *N*¹, pactionem *N*²*Z* ‖ 26 minima *HVL* ‖ 27 factionem *VL* ‖ 28 quas] quia *N*²*ZB* ‖ 30 nec *HVL*.

penuriamque suorum exponit; Italiam sibi dari postulat, absolutionem efflagitat adiciens, quia, si superare Odovacrem possit Italiamque obtinere, ad eius redundaret gloriam, a quo directus fuisset, sin bello superatus foret, eius nihilo minus lucris adcresceret, quandoquidem cotidianorum stipendiorum exactoribus careret. talia Zeno audiens contristatus quidem est eo quod eum nollet amittere, at tamen deliberato consilio rei publicae utilitati prospiciens eius petitionibus adnuit Italiamque ei per pragmaticum tribuens sacri etiam velaminis dono confirmavit, senatum illi populumque Romanum com-
XV mendans abire permisit. egressus igitur Constantinopolim Theodericus ad Ostrogothas revertitur hortaturque continuo, ut quam primum parati sint, quatenus possessuri Italiam proficiscantur.

at tamen prius quam Italiam adventaret, Trapstilam Gepidarum regem insidias sibi molientem bello superans extinxit, Busan quoque Vulgarorum regem magna simul cum suis agminibus caede prostravit. egressus itaque a Misia cum omni Ostrogothorum multitudine universaque supellectili per Sirmium Pannoniasque iter faciens ad Italiam venit. ac primum iuxta Sontium flumen, qui non longe ab Aquileia labitur, castra componens dum uberrimis, quae eo loco habentur, pascuis fatigata aliquantulum ex itineris longitudine iumenta reficeret, ibi mox ei cum grandi suorum exercitu totisque Odovacer Italiae viribus occurrit. quem Theodericus alacriter excipiens magno superatum proelio postremo in fugam convertit. exinde Theodericus movens cum Veronam venisset, iterum adversus eum Odovacer non minori quam prius belli sese apparatu opponit. contra quem Theodericus haud procul a Veronensi urbe confligens nimia eius exercitum caede contrivit ipsumque pariter et omnem illius multitudinem dare terga coegit. qui dum fugae metu se praecipites in Atesim fluvium mergunt, ex magna parte rapidissimis eius gurgitibus inplicati suffocan-
XVI tur. Theodericus vero dum ipso impetu subsequitur fugientes,

---

XV *cf.* Iord. G. 57, Cassiod. 489, An. Vales. 50, Ennod. paneg. 296, 301.

XVI XVII *cf.* Iord. G. 57, R. 240, Ennod. v. Epiph. 390 sq., paneg. 301 seq., An. Vales. 50—55, Cassiod. 490, 491, 493 (An. Cusp. 490, 491, 496).

---

1 penuriam *NZ*, penuriarum *M* ‖ 2 quia *om.* B^1, qua H^1, qui *N*, quod *Z* ‖ si *om.* N^1M^1 ‖ 4 sin] si in *NZB* ‖ 13 quatinus *NZ* ‖ 14 trabstilam *NZ* ‖ 16 bulgarorum *VB* ‖ 17 egressus est *NZ*, est *i. ras. Z* ‖ 26 ueniret *NZ* ‖ 27 adoacer *NZ* ‖ belli sese] belli NZ^2, bellis Z^1 ‖ 31 metum HV^1 ‖ adesim HVM^1 ‖ 32 implicatis NZ^1M.

Veronam ilico pavore civibus consternatis invadit. Odovacer autem cum his, qui evaserant, fugiens Romam contendit sed obseratis continuo portis exclusus est. qui dum sibi denegari introitum cerneret omnia quaeque adtingere potuit gladio flammisque consumpsit. inde quoque egrediens Ravennam ingressus est ibique, quibus se tueri adversus hostes possit, munitionum praeparare obstacula coepit. Theodericus itaque a Verona digrediens Mediolanium pervenit. ubi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum pluresque Italiae populi convenere. sed paucis interiectis diebus rursus dediticius exercitus Tuffa quodam nomine instigante Odovacris se partibus reddidit. ea res Theodericum in tantum perterruit, ut se suumque exercitum apud Ticinensem urbem muniret. talium XVII
rerum varietates Burgundionum rex Gundubatus aspiciens Liguriam cum ingenti exercitu ingressus cuncta, quae reperire poterat, pro voluntate diripiens infinitam secum ad Gallias captivorum multitudinem abduxit. Theodericus itaque aliquamdiu intra munitiones exercitum retinens demum relictis ibi matre sororibus universi vulgi multitudine nihil plane dubius de Epiphanii viri sanctissimi fide cum expeditis armatorum cuneis ad Odovacris obsidionem Ravennam perrexit dumque eo loco, cui Pinetum nomen est, non procul ab urbe castra posuisset, per continuum paene triennium Odovacrem obsedit. qui dum frequenter ex urbe cum suis egrediens eius exercitus inquietaret, novissime noctu in castra inruens magna Theoderici exercitum strage prostravit. victus ad extremum fortissime Gothis resistentibus in urbem confugit nec multo post a Theoderico in fidem susceptus ab eo truculente peremptus est. egressis denique a Ticinensi urbe post triennium XVIII
Gothis eandem mox urbem Rugi invasere cuncta per circuitum loca simulque et civitatem per continuum biennium populatione vastantes, cum adhuc beatissimus Epiphanius superesset, cuius in tantis periculis sanctitate cives replebantur af-

XVIII *cf.* Ennod. v. Epiph. 392 sq., Cassiod. 500, An. Vales. 67.

2 fugientes NZ^1 ‖ 3 cum *NML* ‖ denegare N^1Z^1 ‖ 4 omniaque quae *HNZ* ‖ 8 ueronam NZ^1 ‖ egrediens N^2Z, ingrediens N^1 ‖ mediolanum *NZM* ‖ ibi *NZL* ‖ 14 uulgundionum *NZ* ‖ gundubadus *L* ‖ 16 infinitas *HL*, infinita *V* ‖ 18 exercitus tenens *NZ* ‖ 19 uniuersasque NZ^1, uniuersaque Z^2ML ‖ 24 cum *NZML* ‖ exercitum *NZM* ‖ 27 urbe *HVL* ‖ 28 a *om.* N^1Z ‖ fide *NZM* ‖ 29 est *om.* *NZ* ‖ egressi VNZ^1 ‖ 33 reuelabantur NZM^2.

flicti. hic a Theoderico Gallias ad Gundubadum pro captivis redimendis directus excepta innumera multitudine, pro quibus pretium tribuit, sex milia captivorum ob solam sanctitatis suae reverentiam concessa secum reduxit. igitur Theodericus extincto apud Ravennam Odovacre totius Italiae adeptus est ditionem nec multo post Romam profectus a Romanis magno gaudio susceptus est, quibus ille singulis tritici ad subsidium annis centum viginti milia modiorum concessit.

XVIIII Dum haec apud Italiam geruntur, a Bulgaris universa Thracia crudeliter devastatur. Constantinopolis etiam ipsis diebus maximo conflagravit incendio.

At vero apud Africam *Hunuricus,* qui mortuo Geiserico in regnum successerat, Arriana perfidia *trusis in exilium effugatisque amplius quam trecentis triginta quattuor catholicis episcopis ecclesias eorum clausit, plebem variis suppliciis affecit et quidem innumeris manus abscidens linguas eorum praecidit nec tamen loquellam catholicae confessionis eripere potuit.*

Apud Brittanias quoque *Ambrosius Aurelianus, qui solus forte Romanae gentis Saxonum caedi superfuerat, purpuram induit victoresque Saxones Brittonum ducens exercitum* saepe *superavit, atque ex eo tempore nunc hi nunc illi palmam habuerunt, donec Saxones potentiores effecti tota per longum insula potirentur.*

XX Theodericus interea, ut sui regni vires constabiliret, Audefledam Lodoin Francorum regis filiam sibi in matrimonium iunxit, Amalafredam germanam suam Wandalorum regi Hunurico, eiusdem Amalafredae filiam Amalabergam Turingorum regi Hermenfredo, Theodicodo quoque et Ostrogotho ex concubina filias alteram Alarico Wisigotharum regi, alteram Sigismundo Burgundionum consociat, Amalasuintham vero tertiam filiam Eutharico ex Amalorum stirpe venienti evocato ab Hispania tradit. nec fuit aliqua vicina Italiae gens, quae Theo-

---

XVIIII Beda 493; *cf.* Marcell. 491, 502. XX *cf.* Iord. G. 57, 58.

---

1 gundibadum *NZ* ‖ 3 sanctitati *NZ* ‖ 4 concessis *HVN*^{2}*ZL*, concessu *N*^{1} ‖ theodericus *om. NZ* ‖ 9 uulgaris *HZL*, uurgaris *V* ‖ 10 constantinopolim *NZ* ‖ 11 confragauit *NZM* ‖ 12 honericus *N*^{1}*Z*, honoricus *N*^{2}*MBL* ‖ 17 loquela *VML* ‖ 19 caedis *NZ* ‖ 21 hii *HV* ‖ 22 longum] linguam *NZ* ‖ 24 autefledam *N*, antefledam *Z* ‖ 26 honorico *NZML*, hunerico *B* ‖ 27 amalafre *N*, amaffre *Z* ‖ malabergam *NZM*^{1}*BL* ‖ 29 hilarico *HVM*, hilaricho *L* ‖ 30 amalauintham *NZ* ‖ 31 alamalorum *H*^{1}*V*, halamalorum *H*^{2}, halanorum *L*, alanorum *B* ‖ 32 tradidit *NZML* ‖ nec fuit aliqua uicina *om. HVM*^{1}, nec erat *B* ‖ gens *om. NZ.*

derico aut coniunctionis adfinitate aut pactionis foedere sociata non fuerit.

Zeno itaque Augustus cum per annos decem et septem rei publicae praefuisset, apud urbem Constantinopolim vitae terminum accepit.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

Cessante iam Romanae urbis imperio utilius aptiusque I
mihi videtur ab annis dominicae incarnationis supputationis lineam deducere, quo facilius, quid quo tempore actum sit, possit agnosci.

Anno ab incarnatione domini quadringentesimo nona- II
gesimo secundo post Zenonis excessum Anastasius purpuram induit, qui septimus et quadragesimus in regum numero extitit. hic Romani decus imperii Eutychianae haereseos inluvie maculavit.

Huius temporibus tanta propter Symmachi ac Laurentii electionem Romae dissensio facta est, ut Festus senatorum nobilissimus et exconsul et alius exconsul Probinus Laurentii partibus faventes adversus Faustum exconsulem ceterosque, qui Symmacho adhaerebant, pontifici bellum inferrent multasque caedes et homicidia in medio urbis facientes plerosque ex sacerdotali numero, multos etiam clericorum, perplures civium Romanorum extinguerent.

Eo tempore *Transamundus*, qui fratri Hunurico apud III
Africam in Wandalorum regno successerat, fratris vel patris Geiserici secutus perfidiam *clausis catholicorum ecclesiis ducentos viginti episcopos in Sardinia exilio religavit, quibus beatus papa Symmachus cotidiana subsidia ministrare non destitit.*

II *cf.* vit. Hormisdae 82, Beda 521, vit. Symmach. 76—78, An. Vales. 65.   III Beda 521; Isid. 456.

---

6 explicit liber xv incipit liber xvi *HVNZM*, incipit lib. xvi *B* ‖ 9 ducere *NZ* ‖ quo facilius] ut *B*, *om.* *HV* ‖ 13 regnum H^1VN^1M ‖ 14 hinc N^1Z ‖ euthicianae (eutic. *M*) *HVM* ‖ inluuies *NZ* ‖ 16 ac] et *NZML* ‖ 24 honorico *NZM*, honoricho *L*.

Inter has tempestates *beatus Fulgentius in confessione fidei et scientia floruit.*

IIII *His ipsis apud Africam diebus, dum Arrianus quidam Olympius nomine corpus aquis balnealibus abluens indigna quaedam et blasphema de sanctae trinitatis fide verba evomeret, veniente subito ignito caelitus iaculo visibiliter conbustus est. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus dum contra regulam fidei minorem scilicet patri filium sanctumque spiritum asserere cupiens baptizaturus dixisset 'baptizo te Barbas in nomine patris per filium in spiritu sancto', statim aqua, quae ad baptizandum allata fuerat, nusquam conparuit; quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad ecclesiam catholicam fugiens iuxta morem fidei baptismum Christi suscepit.*

Theodoricus vero dum per idem tempus pacifice apud Italiam regnaret, per singula quaeque celebriora loca regia sibi habitacula construxit.

V Anastasius itaque dum in haeresi, qua delapsus fuerat, perseveraret duasque in Christo naturas, deitatis videlicet et humanitatis, Eutychium haeresiarchem sequens denegaret, Hormisda papa, qui Symmacho successerat, direxit Ennodium Ticinensem episcopum aliosque cum eo Constantinopolim legatos cum catholicae fidei scripto, quatenus Anastasium ad ecclesiae reducerent gremium. is non solum salubria eorum monita sprevit, sed insuper etiam a suis conspectibus non sine contumelia expulit navique fragili inpositos mandat, ne uspiam per totam Graeciam ad aliquam civitatem accederent. quam eius impiam temeritatem divina continuo ultio subsecuta est; nam cum iam septimum et vicesimum imperii annum ageret, *vi fulminis percussus interiit.*

VI Anno ab incarnatione domini quingentesimo octavo decimo punito Anastasio haeretico Iustinus catholicus Augustali potitus est solio. ad hunc ob causam redintegrandae fidei directus ab Hormisda pontifice vir sanctitate praecipuus Ger-

IIII Isid. 456; *cf.* Cassiod. 500 (An. Vales. 70—72).

V Beda 521; *cf.* vit. Hormisdae 82, 83.

VI *cf.* vit. Hormisdae 83, 84.

7 dum contra] demonstra HVM^1, demonstrans *B* ‖ 10 per] et HVM^1, et per *B* ‖ spiritui H^1V ‖ 12 confugiens *NZM* ‖ 19 euthycium *H*, euthicium *V*, euticium *MB*, euthichium *NZ* ‖ 20 ennodium] et non dium N^1, ethondium N^2, ennondium *Z*, e *i. ras.* ‖ 21 ticiniensem (tiqui- *V*) *HVB* ‖ 26 ciuitatum $HVBM^1L$ ‖ 29 ui] sex *NZ* ‖ fulminibus N^2Z ‖ 32 redintegranda *H*, redintegrandam *B*.

manus Capuanae urbis episcopus digne susceptus est multorumque dubia corda in fide solidavit.

VII Eo tempore apud Africam defuncto Transamundo Wandalorum rege Arrianae perfidiae *Hildericus* eius filius ex captiva Valentiniani principis filia ortus Wandalorum adeptus est regnum. qui non patrem haereticum, sed matris catholicae monita sequens rectae fidei cultor enituit. hunc pater Transamundus ad mortem veniens, quia cernebat eum catholicae parti favere, sacramenti nodis adstringere curavit, ne umquam in suo regno catholicis consuleret. qui mox, ut suus genitor vita caruit, prius etiam quam regni iura adsumeret, universos *episcopos,* quos Transamundus in exilium coegerat, *regredi fecit eisque ecclesias reformare praecepit septuaginta iam et quattuor annis evolutis, ex quo* a Geiserico primitus apud Africam *ecclesiae fuerant destructae.*

VIII At vero in Orientis partibus, dum adhuc eo tempore per loca singula Arriana haeresis vigeret, Iustinus ardore orthodoxae fidei omnimodis satagere coepit, ut haereticorum nomen extingueret, statuitque, ut ubique eorum ecclesias catholica religione consecraret. quod dum in Italia rex Theodericus Arriana lue pollutus audisset, Iohannem papam simulque cum eo Theodorum Inportunum atque Agapitum consulares viros aliumque Agapitum patricium Constantinopolim ad Iustinum principem dirigit: mandat per eos interminans, ut, nisi quantocius haereticis suas ecclesias redderet eosque in pace degere sineret, universos Italiae populos ipse gladio extingueret. VIIII qui pervenientes ad Augustum cum ab eo digne, ut conpetebat, suscepti essent, magnis eum de sua suorumque salute solliciti fletibus postulant, ut suae legationis seriem, quamquam esset iniusta, libenter exciperet Italiaeque periturae consuleret. quorum fletibus Iustinus permotus eis, quod petebatur, concessit Arrianosque suo iuri reliquit. dum hi in itinere demorantur, Theodericus rabie suae iniquitatis stimulatus *Sym-*

VII Beda 529; *cf.* Isid. 457.
VIII *cf.* vit. Iohann. 87, An. Vales. 88, 90.
VIIII Beda 529; *cf.* vit. Iohann. 87, An. Vales. 91, 92.

---

3 eodem *NZ* ‖ 4 heldericus *NZM* ‖ 7 transemundus *N²Z* (*et* 12), trasamundus *B* (*et* 12) ‖ 12 quoegerat *N¹Z* ‖ 15 destitutae *HB* ‖ 18 satageret *HB* ‖ 22 consulares — 23 agapitum *om. NZ¹* ‖ 24 manda *N¹*, mandans *Z, NM e corr.* ‖ 29 serie *HVL* ‖ 32 iure *VN* ‖ hii *HV*, *om. NZM* ‖ demorarentur *NZL* ‖ 33 istimulatus *N¹*, instimulatus *N²Z.*

machum exconsulem ac *patricium* et Boethium senatorem et exconsulem catholicos viros gladio trucidavit.

X Iis diebus extincto a Francis Alarico Visigotharum rege Theodericus per Ibbam suum comitem plus quam triginta milia Francorum caedens Thiodem suum armigerum post mortem Alarici [tutorem Athalarici] nepotis constituit.

Iohannes vero pontifex *revertens* a Constantinopoli dum cum his, cum quibus ierat, *profectus* ad Theodericum *Ravennam fuisset*, *Theodericus ductus malitia*, *quod eum Iustinus catholicae pietatis defensor honorifice suscepisset*, *eum simul cum sociis carceris afflictione peremit*. sed hanc eius inmanissimam crudelitatem mox animadversio divina secuta est; nam nonagesimo octavo post hoc facinus die *subita morte* defunctus est, cuius animam solitarius quidam apud Liparam insulam vir magnae virtutis aspexit inter Iohannem papam et Symmachum patricium deduci et in Vulcani ollam, quae ei loco proxima erat, demergi.

XI Igitur Theoderico tali modo punito Gothi sibi Athalaricum, de quo praemissum est, ex Theoderici regis filia procreatum cum eadem Amalasuinta matre sua in regnum praeficiunt.

At vero Iustinus cum Augustalem dignitatem annis undecim administrasset, apud Constantinopolim in pace quievit.

Anno ab incarnatione domini quingentesimo vicesimo nono Iustinianus sororis Iustini filius Romanorum principum nonus ac quadragesimus Augustalem adeptus est principatum. qui mox imperialia iura suscepit, ad reparandum rei publicae statum animum intendit. ac primum per Belisarium patricium ingentem virum Persas aggressus est, qui transgressis Romanorum terminis eorum regiones graviter populabantur; quos

---

X Beda 529; *cf.* Iord. G. 58, vit. Ioh. 89 (An. Vales. 93), Greg. dial. 4, 31.

XI *cf.* Iord. G. 59, R. 240, 241.

---

1 etconsulem *NZ* ‖ et *post* senatorem *om.* *NZ* ‖ 4 ibblam *NZ* ‖ 6 generi tutorem athalarici (amalarici M^2) *quod omittit P, supplevit L* (*inde* M^2) ‖ 7 constantinopolim *codd. praeter B* ‖ dum cum his *om.* *NZ* ‖ 8 cum *ante* profectus *ins.* N^2Z ‖ 9 ductus *om.* *VL* ‖ 11 haec NZ^1 ‖ 13 defectus NZ^1 ‖ 14 lipuram *NZ*, lipparam *HV* ‖ 16 uulgani NZ^1ML ‖ 18 athalarico *HVL*, adalarico *M*, attalaricum *ex* attaricum *Z*, allaricum *N* ‖ 20 cum eadem *om.* *NZ* ‖ amasuuinta N^2Z ‖ in] hii N^1Z ‖ 23 ministrasset *NZ* ‖ 27 mox ut N^2ZBL.

Belisarius magnis proeliis fudit atque ex voluntate principis Constantinopolim triumphans ingressus est.

Interea Athalaricus Gothorum rex, cum necdum expletis XII
quattuor annis regnasset, inmatura morte praeventus vitae subtractus est. cuius mater Amalasuinta post eius funus Theodatum sibi socium adscivit in regnum. sed Theodatus idem inmemor conlati beneficii eam post dies aliquot in balneo strangulare praecepit. et quia ipsa dum adviveret, se suumque filium commendaverat principi, audita Iustinianus Augustus eius morte gravi mox adversus Theodatum iracundia
exarsit. sentiens se Theodatus infensum habere principem XIII
beatum papam Agapitum Constantinopolim dirigit, quatenus ei apud Iustinianum facti inpunitatem impetraret. qui sanctus pontifex dum Iustinianum principem adisset, facta cum eodem de fide collatione repperit eum in Eutychetis dogma corruisse, a quo primitus graves beatus antistes minas perpessus est. sed cum illius inconcussam in fide catholica Iustinianus constantiam cerneret — siquidem ad hoc usque verbis progressus fuerat, ut talia a praesule audiret 'ego ad Iustinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi, sed Diocletianum inveni' — tandem ex voluntate dei eius monitis adquiescens ad catholicae fidei confessionem cum multis pariter, qui similiter desipiebant, regressus est. Anthimum quoque eiusdem regiae civitatis episcopum praefatae haereseos defensorem convictum publice communione privavit ac persuaso principe in exilium coegit. nec multum post idem pontifex apud eandem urbem diem obiit.

Interea *ad Africam*, quam iam multis labentibus annis XIIII
Wandali possidebant, *a Iustiniano* cum exercitu *Belisarius missus est*, qui mox proelio cum Wandalis commisso eorum magnas copias fudit *regemque eorum Gelismerum vivum capiens Constantinopolim misit. Carthago quoque post annum suae excisionis nonagesimum sextum recepta est.* porro dum Agapitus XV

XII *cf.* Iord. G. 59, 60. XIII *cf.* vit. Agapet. 94—96. XIIII Beda 567. XV *cf.* vit. Silv. 97, Iord. G. 60.

5 amalsuinta *HV*, amalasubinta *N²Z*, amalasunta *N¹* || 6 in *om.* *H¹V* || 7 idem] hisdem *HV*, isdem *MBL*, *om.* *NZ* || 8 strangulari *NZL* || 9 principi commendauerat *NZM* || 14 a*disset *H¹*, audisset *B* || 15 euticetis *HBL*, eutichetis *NZ* || 17 catholica] catholica repperisset *HV*, catholica repperisse *L* || 18 progressum *HBML* || 23 antimum *B¹NZM* || 28 multis — 29 a iusti *om.* *NZ¹* || 30 ipsorum *NZM* || 31 gelisimerum *NZ*.

pontifex, qui a Iustiniano principe pacem Theodato postularat, apud Constantinopolim obisset, Iustinianus Belisarium patricium multis iam proeliis gloriosum adversus Theodatum dirigit, utque etiam Italiam a Gothorum servitio liberaret. Belisarius itaque dum aliquantum temporis apud Siciliam moram faceret, rex Gothorum Theodatus extinctus est. huius in loco Witigis successit, qui mox ut regnum invasit, Ravennam profectus Amalasuintae reginae filiam per vim auferens sibi in matri-
XVI monium iunxit. conceptas ergo contra Theodatum Belisarius belli vires in Witigis convertit egressusque e Sicilia ad Campaniam Neapolim venit. quem Neapolitani cives noluerunt excipere. qui indignatus acriter ad eiusdem urbis expugnationem totis se viribus erexit aliquantisque fortiter inpugnatam diebus tandem per vim capiens ingressus est tantaque non solum in Gothos, qui ibi morabantur, sed etiam in cives ira desaevit, ut non aetati, non sexui, postremo non sanctimonialibus vel ipsis etiam sacerdotibus parceret; viros in conspectu coniugum miserabili visu perimens superstites matres ac liberos captivitatis iugo abduxit cuncta rapinis diripiens
XVII nec a sacrosanctis ecclesiis expoliandis abstinuit. indeque egrediens Romam properavit. quo Romam ingresso Gothi, qui in urbe morabantur, noctu egressi relictis patentibus portis Ravennam confugiunt. Witigis ut talia comperit, mox adversus Belisarium Romam cum ingenti exercitu venit. Belisarius non aptum sibi bellandi tempus coniciens intra urbis se moenia clausit eamque munitionibus circumsaepsit. Gothi urbem obsidentes universa per circuitum direptionibus et incendiis absumunt, quoscumque Romanorum reperiunt, gladio extingunt; cuncta sacra loca denudantes ipsis etiam venerabilium martyrum tumulis manus impias inferunt. continue urbem inpugnant, sed cauta Belisarii defensatur industria.
XVIII praeter belli instantiam angebatur insuper Roma famis penuria; tanta siquidem per universum mundum eo anno maxime

XVI *cf.* vit. Silv. 97. XVIII *cf.* vit. Silv. 99—101.
XVII *cf.* vit. Silv. 98, 99.

3 iam *om.* *NZ* ‖ 6 locum *NZML* ‖ 8 amalasuuinthae *NZM* ‖ 9 coniunxit *NZ* ‖ 10 e *om.* M^1, ex *V*, a *N i. ras.*, *Z* ‖ 15 ibidem *NZ* ‖ 16 postremo non] postremo NZ^1L^1 ‖ 17 etiam ipsis *NZ* ‖ 18 miserabile HV^1M ‖ 19 abduxit *L*, addixit *HV*, adduxit *NZMB* ‖ 22 ingressi VN^1M^2 ‖ 28 assumunt *NZ* ‖ quosquum HV^1, quoscum N^1M^1 ‖ 29 cuncta] cū *Z*, cum *N* ‖ 31 industria — 32 angebatur *om.* NZ^1 ‖ 33 mundum *om.* *NZ* ‖ maximeque *NZML*.

apud Liguriam fames excreverat, ut, sicut vir sanctissimus Datius Mediolanensis antistes retulit, pleraeque matres infelicium natorum membra comederent. cumque per annum Gothi Romam obsedissent, demum territi Ravennam rediere. Belisarius vero proficiscens Neapolim eamque, ut competebat, ordinatam relinquens Romam regressus est. statimque ei a Theodora Augusta praeceptio allata est, ut papam Silverium convictum accusatione falsorum testium in exilium truderet, eo quod Anthimum haereticum Constantinopolitanum episcopum recuperare noluisset. quod Belisarius licet nolens nihil moratus effecit. pulsus denique papa Silverius ad Pontiam insulam est, in qua et exulans obiit. Witigis vero coacto XVIIII
rursus in unum magno Gothorum exercitu cum Belisario conflixit factaque maxima suorum strage in fugam conversus est. quem Iohannes magister militum cognomento Sanguinarius noctu fugientem persequens vivum conprehendit Romamque ad Belisarium adduxit. patrata Belisarius victoria Constantinopolim rediit secum Witigis deferens. quo viso Iustinianus valde laetatus est eumque non multum post patricium effectum administrationem illi iuxta Persarum terminos tribuit ibique Witigis degens vitam finivit. Belisarius vero dignis evectus honoribus iterato ad Africam adversus Guintarit mittitur, qui Wandalos rursus sollicitans apud eos arripuerat regnum. Belisarius ut Africam attigit, Guintarit sub dolo pacis ilico peremit residuosque Wandalorum rei publicae iugo substravit. victor exinde Belisarius Romam venit, auream crucem centum librarum pretiosissimis gemmis exornatam, in qua suas victorias descripserat, beato Petro per manus papae Vigilii obtulit.

His ipsis apud Casinum temporibus post solitariam vitam XX
sancto degens coenobio stupendis beatissimus pater Benedictus nec minus futurorum praescius radiabat virtutibus.

Hac etiam aetate gens Langobardorum amica tunc populi Romani apud Pannonias degebat, quibus in regni guber-

XVIIII *cf.* vit. Virgil. 102.

XX *cf.* Paul. hist. Langob. 1, 22, 23, Iord. R. 242.

1 ligurias *NZ* || 2 plerae Z^1, pl*que N^1 || 3 annum continuum *NZML* || 4 redire *HVNM*^{1} || 7 ablata *NZ* || 11 efficit *VNZ* || pontianam N^2Z || 12 et *om.* *NZM*^{1} || 16 nocte *NZ* || 19 eum NZ^1 || *Paulus aut scripsit aut scribere voluit:* effecit tum adm. || 22 guintharith *H*, uuintarith *V*, uuintharit *ML* || 24 ut] ad NZ^1, ubi M^2 || uuintharith *L* || 26 uenit *om.* NZ^1 || 29 cassinum *HBM*^{1} || 32 haec *HVM* || langubardorum *NZ*.

naculo Audoin praeerat. is eo tempore cum Turisendo Gepidarum rege confligens per Alboin suum filium iuvenem strenuum victoriam nanctus est. denique inter ipsas Alboin sese acies Turismodum Turisendi regis filium appetentem alacriter adgressus extinxit perturbatisque hac occasione Gepidis suis victoriam peperit.

XXI At vero apud urbem Romam papa Vigilius ob eandem, qua et decessor suus, causam indignatione Augustae per Antimum scribonem ductus Constantinopolim indeque in exilium actus est.

XXII Capto igitur Witigis Gothi Transpadani Heldebadum sibi regem constituunt, qui eodem anno perimitur. cui succedit Erarius et ipse necdum anno expleto iugulatur. dehinc sibi Baduilam, qui et Totila dicebatur, in regnum praeficiunt. moxque collecto undique exercitu universam rursus Italiam invadunt. exinde per Campaniam virique dei Benedicti patris coenobium iter facientes perque Lucaniae ac Britiorum fines Rhegium proficiscuntur nec mora Siculum transgressi fretum Siciliam invadunt. inde quoque revertentes Romam petunt eamque obsidionibus circumcludunt. quae tantam tunc famis penuriam perpessa est, ut prae magnitudine inopiae natorum suorum carnes comedere vellent. fessis nimium Romanis nec valentibus moenia tueri Totila a porta Ostensi urbem ingressus est. qui parcere Romanis cupiens per totam noctem clangere bucinam iubet, quo se a Gothorum gladiis aut ecclesiis tuerentur aut quibuscumque modis occulerent. habitavitque aliquantum temporis cum Romanis quasi pater cum filiis. hanc illi, ut datur conici, animi benignitatem, qui nimiae antea crudelitatis extiterat, beati patris Benedicti, quem olim

XXIII adierat, monitio contulit. elapsi sane ex urbe aliqui e numero senatorum Constantinopolim afflicti properant, quibus

---

XXI *cf.* vit. Vigil. 104—106, 108.
XXII *cf.* Iord. R. 242, vit. Vigil. 107, Greg. dial. 2, 14, 15.
XXIII *cf.* vit. Vigil. 107, 108, Beda 578.

---

4 turisinde *NZ* || 5 egressus *VNZ*[1], agressus *Z*[2] || 8 causa *PL praet. B* || 11 transpadani (transpadini *L*, transpadum *V*, transpadam *B*) heldebadum sibi] transpadanihel leuatum ibi *NZ*, debaldum *add. Z*[2] *post* hel *i. m.* || 12 successit *VZ* || 13 deinde *NZ* || 14 baduillam *HL* || regno *NZL* || 20 obsidionis *NZ* || circumludunt *N*[1]*Z* || tantum *HV* || 23 ostensi *NZM*, hostensi *HVB*, hostiensi *L* || 25 bucina *VNL* || *inde a* iubet *desunt reliqua in H* || 27 analiquantum *NZ*[1] || 28 hac *NZ*, hinc *M* || 30 adierat *om. NZ*.

calamitatibus Roma subiceretur, principi narrant. qui statim Narsen eunuchum suum cubicularium cum manu valida dirigit, ut afflictae Romae quantocius subveniat. is ad Italiam veniens magno cum Gothis certamine conflixit. quibus ad internicionem paene consumptis regem Totilam, qui ultra iam decem annos regnaverat, interfecit universamque Italiam ad rei publicae iura reduxit.

Quia vero restant adhuc, quae de Iustiniani Augusti felicitate dicantur, insequenti deo praesule libello promenda sunt.

---

2 narsim *BL*, narsis *VN*[1], narsi *N*[2]*Z*, narsin *M* || 3 subueniret *BML* || 5 paene *om. NZ* || 8 de *om. VN*[1]*B* || 9 *post* sunt *add.* explicit liber xvi historiae romanae imperatorum romae uel constantinopolim regnantium *V*, explicit lib. xvi de str romanor *NZ*, explicit liber xvi *M*.

INDEX NOMINVM.

Eutropiana capitum *numeris inclinatis* notantur.

CORRIGENDA.

3 *var. lect.* 3 e] a *H* 4 *v. l. 21*: xxxviiii *HVL* 6 *v. l. 14*: elegit *NZL* 7 *v. l. 8 add.*: sui *ante* eiusdem 10 *v. l. 27* octavianus *N²ZL* 11. 22 ferme *et v. l.* 22: fere *HV* 13. 8 exercitibus *et v. l.*: exercitus *NZL* 13. 9: triennio 21. 12 *i. m*: xxiii 26 *v. l.* 4: inde ad Tusciam veniens Hannibal 41 *numeri* xxiii, xxiiii, xxv *appon. vv.* 28, 33, 35 48. 4: Pamphylia 66 *v. l.* 28 ut *post* amor *N e corr.*, *Z* 121 viiii *add.: cf. ante* An. Cusp. 476.

Lipsiae typis J. B. Hirschfeld.

Umschlagdruck von W. Pormetter in Berlin.